BS
2600
.G26
V.1

THE HENGSTENBERG COLLECTION

IN THE LIBRARY OF THE

Baptist Union Theological Seminary

Purchased from the estate of the late
Prof. E. W. Hengstenberg, D. D., of Berlin,
and deposited in the Library by an association
of gentlemen.

Library No. 232.1 *Shelf No.* G.2.1

CHICAGO, Nov. 19, 1875.

The University of Chicago
Libraries

HENGSTENBERG COLLECTION

DE

UTROQUE JESU CHRISTI

NOMINE IN NOVO TESTAMENTO OBVIO DEI FILII ET HOMINIS.

DISSERTATIONIS THEOLOGICAE

PARS PRIOR,

QUAM

ORDINIS THEOLOGORUM EVANGELICORUM

SUMME VENERANDI AUCTORITATE

PRO

LICENTIATI IN THEOLOGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE IX. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

FREDER. GUILELM. GASS

PHILOSOPHIAE DOCTOR, THEOLOGIAE CANDIDATUS.

Gass, Wilhelm

G 2

VRATISLAVIAE,

TYPIS M. FRIEDLAENDERI.

BS2600
.G26
v.1

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARIES
CHICAGO, ILL.

17982

FRATRI CARISSIMO

CAROLO SCHOENBORN,

PHILOSOPHIAE DOCTORI,

GYMNASII VRATISLAVIENSIS AD AEDEM ST. MARIAE MAGDALENAE RECTORI ET DIRECTORI

D. D. D.

Praefatio.

Plerique viri docti, qui hoc saeculo explicandis libris sacris operam navarunt, praefati commentariis suis, ubi hermeneuticae legis proponendae locus est, grammatice et historice se scripturam interpretatos esse lectori adnunciant. Hanc normam non semper accurate definitam tam vehementer probarunt, ut qui eadem via procederent, aequalem etiam ad finem crederes fuisse perventuros. At quum nihilo minus alii alia e libris eruerent, nec de gravissimis quidem esset inter omnes consensus, latioris potestatis regulam esse et quae subtiliore explicatione egeret apparebat. Constat regula duabus partibus iisque conjunctis, quarum alteram paene superfluam habeas. Quis enim unquam se non grammatice malle interpretari gloriatus est? Memineris igitur oportet, praecipi hac lege, ut praeter generalem grammatices artem observandam peculiarem etiam dicendi usum et consuetudinem cuique scriptori propriam interpres pervestiget, neve a primo ac simplici scripturae sensu unquam declinet. Tum quid sit historice interpretari, ita definiunt, ut aetatis, qua libri editi sint, scriptorumque ubique rationem habendam esse ostendant. Sed hujus negotii gerendi, quum am-

bigua esset rerum gestarum et antiquitatis consideratio, varios modus experti sunt.

Historici interpretes, quos diximus, quum alia permulta tum illud quoque agunt, ut utriusque Testamenti connexus et quae legi Christianae cum illius temporis moribus atque scriptis ratio intercedat, ubique ante oculos ponatur. Praeclarum haud dubie hoc et prorsus necessarium studium, sed quod diverso modo theologi susceperunt. Quemadmodum enim quisque rerum gestarum existimator suo animo consilioque ductus ex antecedentibus postera derivat, ita ne illi quidem eandem indagandi et dijudicandi viam secuti sunt: quorum haud pauci Novi T. praecepta et sententias ita explicarunt, ut quam plurima illis similia tum ex Vetere tum ex reliqua antiquae aetatis memoria congesta adponerent, non laudes inde evangelio addituri, sed ad ostendendum multarum rerum humanum atque naturalem fontem. Id enim, quoniam omne verum stabile atque aeternum est, fas esse traditur, derogare indolem divinam et detrahere, si quid ex mutabili cogitatione vel ex unius gentis seu hominis opinione antiqua vel rumore incerto ortum esse historici cognoverint. Inde gravia de multis rebus in N. T. obviis judicia exercebantur, quorum facile benevolus lector recordabitur. Quae verbi causa de diabolo et angelis in libris sacris leguntur, ubi adventicia esse et ex Persarum religione hausta animadvertit, aboleri propterea et erroribus, qui fama in mentes irrepsere, adnumerari historicus jubet. Idem Pauli de rebus novissimis doctrinam ideo longe minoris faciet, quod Judaeorum opinionibus inveteratis non dissimilis esse reperitur, neque Johannem admodum venerabitur Philonis theologiam imitatum. Hoc modo etiam res magnificae extenuantur, fortuita quadam seu exigua earum origine detecta. Ipsae Hebraeorum de Messia venturo spes, siquidem Davidianae tantum stirpis exitio exci-

tatae sunt, desinunt nimirum tam praeclarae et admirabiles haberi.

Quid mirum, quod illud explicationum genus vehementer multis displicuit? Ne illum quidem omnes, qui vulgo fertur, historicorum pragmatismum comprobarunt, ex quo multi, quum res gestas singulas tanquam priorum effectus et sequentium causas spectassent omniaque elicuissent quasi ex antecedentibus, officio esse perfuncti sibi viderentur. Obstabat dogmatica interpretandae scripturae ratio in eo posita, ut quodvis non unde haustum esset oblato scriptoribus divinae voluntatis impulsu, sed quid contineret, quam fidem faceret quaereretur. Quin etiam nonnullorum virorum nomina nota habemus longe celeberrima, qui novum foedus quum sua auctoritate fultum constaret, arctissime cum vetere conjungi vix passi sunt. Quamquam eo usque nemini procedere licuit, ut ab imperitioribus historiae et Hebraeorum scripta ignorantibus vel hosce libros intelligi et explicari posse contenderet. Praestabat igitur historica ars et ratio in interpretando, qua adhibita quum dubia multa relinqui solerent, superiorem etiam interpretes normam quaerebant, illique praeponebant sive Christianam sive pneumaticam sive technicam seu quacunque alia voce nuncupandam.

§ 2.

Sed multum abest, ut haec a nobis vituperandorum causa illorum interpretum praemonita sint, quorum errores, sicubi forte lapsi sunt, facile notantur, aegre ac multo cum labore ab ipso reprehensore evitantur. Verum priusquam opus quoddam aggrediaris, decet quid maxime periculi subiturus sis diligenter prospicere. Sumus autem hoc tempore de ea re pro virili parte acturi, quam ubi historice tractaverimus, — neque potest non historice tractari, — cavendum erit, ne

labefactato sententiae pondere fideli Christi cultori aliquantum detraxisse et quasi e manibus torsisse videamur. Paucae crebrius formulae in N. T. occurrunt, quam duo illa insignia Dei atque hominis filii nomina eaque ita sibi opposita, ut facile opineris, totam sanctam Christi personam optime ambobus comprehendi. Quid altius, quid magnificentius est, quam summi Dei filium, taceo enim de altero nomine, dici aliquem hac terra natum! Num in ullum hominem vili hoc corpore indutum honorem tantum conferri pateremur, si non Jesu Christi eum proprium esse sciremus et crederemus? Hodie enim nisi traditum et confirmatum haberemus fide sanctissima, nequaquam opinor tale epitheton fuissemus excogitaturi. Sed effusiores olim et largiores tum Judaei tum aliae gentes antiquae in dandis honoribus fuere. Itaque percontanti mihi quid significet iste titulus honorificus, fac mihi historicum interpretem respondere, nihil eum valere praeter quod Judaei tunc temporis eo expresserint. Recurram deinde eodem duce ad multas hominum Orientalium hyperbolas, in memoriam revocabo Graecorum de quorundam divina dignitate pulcherrimos mythos summasque in primis laudes, quibus Hebraeorum reges, duces ac prophetae ornati sunt: nec me tum credo Jesu gloria ac magnitudo valde commovebit, eadem fere, quam tot alii homines suo tempore meruerunt, laude decorata. Quod utcunque se habet, nihil magis necessarium erit, quam ut, rebus historicis iisque quae in V. T. leguntur minime praetermissis, praecipue in N. T. locis quacum poterimus diligentia versemur, indeque nominis utriusque ab ipso Christo sibi tributi sententiam exploremus.

§. 3.

Transiturus jam ad propositum quid dicam de promissis divinitus Israëlitis datis, quae praeter exspe-

ctationem explevit tandem longeque superavit eventus? Mihi semper haec exspectatio cum theocratiae usu atque cogitatione conjunctissima est visa. Qui enim prae ceteris se a Deo diligi et gubernari confidunt, iis nunquam sufficiet praesentis temporis mediocritas: immo vero nova quaevis calamitas ad praesagiendum laetum exitum promptiores atque propensiores reddet. Ut omne foedus cum aliquo conciliatum futura spectat tempora, ita proavos ipsos praeclara Jehovae pollicitatione fretos haud miror in recens aevum faustissimum defixos oculos habuisse. Deus autem, quum incredibili modo haec vota Hebraeorum rata fieri juberet, viros longe nobilissimos ac piissimos futurarum rerum vates ut praesentium procuratores creavit, animisque eorum significavit, quae seu de aetate beatissima bonorum omnium copia abundante, seu de redintegrandis Dei sacris, seu de principatu Hebraeorum inter nationes vicinas, seu disertius de Davidianae gentis restitutione, seu denique de cunctae salutis auctore rege simul et summo sacerdote virtutibus maximis distincto canerent et variis imaginibus adumbrarent. Continent haec cum tot aliis rebus prophetarum sermones inde a Joëlis usque ad Danielis tempora exauditi, quibus quum nulla adhuc fortuna responderit, recentiores Judaeorum scriptores non de Messia amplius sed de aetatis tantum instantis felicitate verba faciunt: unde vero non concludendum est, insperantibus cecidisse Jesu aequalibus, ut Messias adventasse diceretur. Multi enim N. T. loci ostendunt, etiam sub ipsum Christi adventum coelestis regni aliquam cogitationem in hominum mentibus resedisse: et quamvis novus adesset, neque qualis exstitit, talis ab omni parte praevisus, tamen de rebus Messiae gerendis, de munere personaque ejus multi et incerti rumores percrebuere. Jam quodammodo definitam et vel fama vel codicis sacri locorum interpretatione adumbratam habe-

bant, quam ille postea suscepturus esset speciem. Ne nomina quidem, quibus a multitudine Messias esset salutandus, nuper proposita neque ficta a Jesu sed e vetere dicendi consuetudine et libris sacris petita sunt.

Exstant vero in N. T. haec nomina praecipua: *Χριστός* sive *Μεσσίας*, *κύριος*, *προφήτης*, *βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ*, *υἱὸς τ. Δαβίδ*, *υἱὸς τοῦ θεοῦ* et *υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, quorum de extremis duobus et olim et hoc tempore saepissime dictum est. Contuli equidem, quot libros inspiciendi opportunitas erat. His nostris diebus et alii et qui de Jesu Christi vita disputavit Strauss V. Cl. §§ 60. 61 atque post eum Neander*) de eadem re fusius ac doctissime egerunt. Nos, antequam de Dei et hominis filio agere conemur, paucis caetera nomina modo laudata recensuisse juvabit.

*) Leben Jesu p. 128—135, edit I. Quum extremam paene manum huic scriptioni admoveram, in manus venit amplissimi operis Gfroereri V. Cl. „Geschichte des Urchristenthums" extrema pars, ejusque priori capiti vidi titulum inscriptum: „der Gottessohn" p. 1—119, alteri: „der Menschensohn" p. 120—265. Nimirum metuebam, ne rem exactam haberem a. V. Cl. omniaque de illis nominibus dicenda subtilissime digesta et perquisita: Sed aliquantum curae lectio ipsa libri abstulit, in quo intelligebam historice magis, qua ratione Messiam se Christus praestiterit, expositum, quam dogmaticorum more, quem cum nominibus honorem susceperit, spectatum et locorum singulorum interpretatione demonstratum esse.

Pars prior

De nomine υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

---

§. 4.

De reliquis Messiae cognominibus.

Quod plerumque antiquo illo tempore animadvertimus, homines insignes non fortuito titulis quibusdam ornatos esse, sed pro virtute sua ac praecipua laude et pro rebus ab ipso gestis vel gerendis quemque appellatum, nostro quoque cognominum genere clarissime demonstratur. Qualem fore sospitatorem ac libertatis vindicem Judaei sperabant, talem non poterant quin vocibus etiam describere idoneis consuescerent. Itaque quod antiqua dudum fama nunciabat, Davididem adventurum, qui praemissis Elia, Jeremia aliove propheta, postquam magna calamitas tristissimique casus antecesserint, e servitio populum eriperet, mores ac sacra restauraret, Deum conciliaret cum ipsis sublata peccatorum poena, summam suam prodigiis auctoritatem ostenderet, qui ad inferos etiam descendens opem patribus ferret ac diabolum vinciret, tum primos justos,

postea omnes vitae redderet cogeretque ad judicia habenda, aevo sequenti mille annorum regnum auspicaretur, denique omnibus rite perfunctus donatam sibi potestatem redderet Deo; — ad illas res nominum quoque Messianorum usus referendus est.*) Verum res a Jesu gestae ejusque persona et consilium favebant partim Judaeorum opinioni, partim adversabantur: quare ne nominum quidem, quae multitudinis exspectatio ferebat, eadem Jesu erat cum caeteris existimatio. Quas voces tum promiscue adhibitas esse tum Christo non ubique illo modo quo Judaei vellent probatas, breviter mihi liceat exemplis hisce comprobare.

Primum cognomen *Χριστός* sive *Χριστός τοῦ θεοῦ*, *κυρίου* מְשִׁיחַ נְסִיךְ vetustissimo inaugurandi ritui accommodatum, in V. T. de regibus Judaeorum potissimum legi et sacerdotibus, qui sacro Dei ministerio se dicarunt, tum etiam de certo quodam principe venturo (Dan. 9, 25), neque in posteris scriptis (v. c. Psalt. Salom. 17, 26. 18, 6 cf. Fabric. cod. pseudep. I, p. 509) plane deesse ita constat, ut nemo fere, quo pacto ipse Jesus tanquam rex et antistes tamdiu desideratus eadem voce nuncupatus sit, non intelligat. Quotiescunque in evangeliis nomen reperitur, nusquam obscurum fuisse Judaeis audientibus conjicies, qui nisi spes laeta omnis iis praecisa erat, noverant adhuc, quem solum Christum prae caeteris dicerent. Hinc clara fiunt angeli verba noctu ad pastores perterritos delati (Luc. 2, 11), hinc Symeonis exclamitatio Mariae infans intuentis Luc. 2, 26: *πρὶν ἢ ἴδῃ τ. Χρ.*, tum quod e Johanne baptista sacerdotes et Levitae (Joh. 1 20)

*) Praeter Schoettgenii et Lightfootii scripta, Bertholdi Christologiam Judaeorum, theologiam biblicam Danielis a Coelln I, p. 487 sqq. aliosque libros, conferatur de his rebus opus nuper editum: Gfroerer, das Jahrhundert des Heils vol II, pp. 219—412.

quaerunt, hinc Andreae (Joh. 1, 42), mulieris Samaritanae verba (4, 25) atque illud haud rarum interrogationis genus: εἴ σὺ εἶ ὁ Χρ. Jesum ipsum neque studiose captasse honores ei qui Christus diceretur tribuendos neque respuisse videmus: nunc enim ita de Christo loquitur, ut se ipsum significari facile intelligas, et Judaeos sitne revera ὁ Χριστός sciscitantes gesta omnia a se intueri indeque conjecturam facere jubet (Joh. 10, 24 sqq. Luc. 22, 67), nunc aperte negligit hominum de Messia opiniones (Joh. 7, 27. 12, 34), neque qualem illi fore cuperent, talem sese praestet, prospicit diligenter (Luc. 5, 14. 4, 41. 8 56. col. 8, 39.) Postea vero, quum totam Messiae dignitatem susceperit et superarit, ac discipuli quis Christus esset e Jesu intellexerint, quid aliud potuit fieri, nisi ut vox abjecta appellativi nominis vi praefixo articulo indicata, quae tamen in Actis saepius (2, 31. 36. 3, 18. 4, 26. 8, 5. 9, 22. 19, 4 al.) et praeterea nonnunquam (1 Joh. 2, 22. Apoc. 11, 15. 12, 10) superest, in proprium quod dicunt nomen abiret? Sic positum sexcenties occurrit articulo aut omisso aut addito cum Ἰησοῦς et κύριος vario modo conjunctum. Paucis tantummodo locis, ubi Jesus pretiosissimo quasi spiritus sancti dicitur unguento tinctus, proprie quid fuerit in nomine recordamur (Act. 10, 38 ὡς ἔχρισεν αὐτὸν ὁ ϑ. πνεύμ. ἁγ. καὶ δυνάμει cf. 4, 27. Luc, 4, 18. Hebr. 1, 9).

Accedit alterum ephitheton ὁ βασιλεὺς τ. Ἰουδαίων sive τ. Ἰσραήλ ex iisdem fere locis derivatum (cf. Mich. 5, 1 מוֹשֵׁל ἡγούμενος) priorique tanquam synonymon adjectum Matth. 27, 40. Marc. 15, 32. Luc. 23, 35, 37. 39. Sed vide, collectis dictis omnibus quam varia vis ac sententia compareat. Quem magi modo natum ex itinere longinquo convenerunt et tanquam regem adorarunt (Matth. 2, 2), cui postea multi hoc titulo acclamarunt, uti Nathanaël duo attri-

buta pari sensu exhibens (Joh. 1, 50), ac tandem Hierosolymorum portas intrantem magno cum apparatu plaudentes ovantesque salutarunt (Matth. 21, 9. Marc. 11, 10. Luc. 19, 38. Joh. 12, 13), idem propter arrogatos sibi honores regios reus citatur. Mox igitur purpura cinctus asperisque herbis quasi laureatus acerbissimo militibus Romanis ludibrio est: χαῖρε ὁ βασ. τ. Ἰ. Matth. 27, 29 parall., dum Judaei vaticinari jubent jamque cruci affixum Jesum, ut factis probet dignitatem mortique subito se eripiat, cum ironia compellunt. Habes quatuor parallelis hisce locis (Matth. 27, 40. 42. 68. Marc. vs. 40. Luc. vs. 30) Messiae appellationes eodem fere sensu editas. At regis non est miracula patrare neque uncti principis vaticinari, ex quo vides, non id solum, unde nomen sumtum est, sed totam qualem fore putarent Christi virtutem personamque, nominibus consignari, uti Luc. 33, 2 juxta collocantur: Χρ. βασιλεύς (Matth. 27, 17. 22. Marc. 15, 9. 12. Joh. 18, 39 βασ. τ. Ἰουδ.). Sua rursus opinione ductus Pilatus, ne regem ipsorum ingrati ac praeposteri trucident quamvis non opima specie distinctum, Judaeos tuendi causa rei commonet (Joh. 18, 39. Marc. 15, 9. 12), inde sistit eum in suggestu coram populo tanquam principem ἴδε ὁ βασ. ὑμῶν (Joh. 19, 14. 15), et devictus tandem rogationum constantia cruci etiam regium titulum insculpi curavit, cujus inscriptionis verba singula quater diverso modo relata habemus (Matth. 27, 37 parall.). Num vero miremur, quod ipse Jesus sitne re vera Israëlitarum rex interroganti procuratori ingenue ait et affirmat? Cur moribundus Romano viro professus est, quod de vivo se et florente a Judaeis noluit praedicari (Joh. 6, 15)? ut regni sui fines intactos esse terrenae vitae vel gloria vel calamitate, eo clarius pateret. — Prout igitur Christus vel a Judaeis vel a Pilato ac militibus vel a semetipso rex appellatur, has vides triplicis fere sententiae voces esse.

Tertii attributi ὁ κύριος (אֲדֹנָי Ps. 110, 1) quum multo latior usus ac potestas sit, neque id de reipublicae tantum administratore valeat (hoc enim minus commodum in regis nomine in epistolis propterea Jesu non tributo), verum et de Deo et de quovis homine, cui reverentia debetur, cum emphasi innumeris locis Christo vindicatur. Sed in tam laxa dicendi consuetudine, quae ubique honoris ratio sit, qua de causa dominus a quovis dicatur, nemo facile nisi e loquentium animo et cogitatione dignoscet. Alio modo Judaeos plerosque, alio discipulos, alio epistolarum postea auctores, uti quisque de munere ejus ac dignitate cogitabat, admisit enim varias colendi Christi rationes appellatio (Joh. 13, 13), agnovisse dominum eum putemus. Ne articulus quidem Messiam dici τὸν κύριον certo et constanti testimonio est: apud Lucam enim, ut unum afferam, paucis nonnunquam versibus interjectis de Deo et de Christo legitur, ut hicne an ille dictus sit, nisi forte perinde valeat interdum, e sententiarum modo nexu cernere liceat, ubi haud ubique ὁ κύριος de Christo capiendum esse rectissime demonstravit Winerus (progr. ad sacra Pentecost. Erlangae 1828). Quum vero in evangeliis Messiae Jesu ac praeceptori plurimae laudes ita contingant, uti Judaeorum placebant animis, verissima quidem ac prorsus Christiana nominis interpretatio quaenam est? quam praeclarissime Paulus proposuit, et unum esse dominum ut unum Deum, totique coetui sacro tanquam solido corpori hoc caput impositum saepius (Eph. 1, 22. 23. 4, 15. Col. 1, 16. 3, 10. 19. 1 Cor. 11, 31) illustravit.

Etiamsi quae olim egerant prophetae, ut de Dei voluntate et consiliis pie colendis populum erudirent probarentque auctoritatem miraculis, eadem Messiae fore munera rumor fuerit, liquet tamen, ὁ προφήτης non quovis evangeliorum loco de eodem Christo dictum reperiri. Joh. 6, 14 nonnulli, qui hominum multitu-

dini cibis paucissumis a Jesu satiatorum interfuere perculsi tanto prodigio exclamant: οὗτος ἀληθῶς ὁ προφ. ὁ ἐρχ. εἰς τ. κόσμον i. e. Messias, quod tum e vs. sequenti tum e formula ὁ ἐρχόμενος absolute quoque sic posita colligitur (Luc. 13, 35). Samaritana vero mulier simpliciter primum prophetam Jesum nuncupat i. e. vatem scientia mirabili praeditum, ac de Messia paullo post (vs. 25) disertius: ὁ λεγόμενος Χρ. Joh. 7, 40 duplex hominum opinio profertur, ex qua aut Christus ille aut ὁ προφήτης (sive Jeremias sive magnus ille propheta Mosi consimilis loco clarissimo praedictus Deut. 18, 15 — 18, quod vaticinium a Judaicis interpretibus de Josua explicatum ad Christum referunt Petrus et Stephanus Act. 3, 22. 7, 37) exstiterit. Joh. 1, 21 tertius Elias additur, quem antiquae famae fisi jam rediisse in vitam nonnulli credebant, quibus Jeremias denique quartus accedit (Matth. 16, 14. Marc. 6, 15) variis Judaeorum fabulis (2 Macc. 2, 1. 15, 14) celebratus.*) Quoniam et de Messia propheta et de pluribus redivivis illique praecessuris vatibus satis vaga variaque fama manabat, Jesus etiam haud difficile in eundem cum illis ordinem a Judaeis poterat cogi. Verissime igitur jam adesse confirmat prophetis ipsis quendam praestantiorem (καὶ περισσότερον προφήτου Matth. 11, 9. Luc. 7, 26): nec minus recte apostoli, quum ministrorum laudes priorum longe filii amplitudini cederent, non tanquam prophetam sed auctorem ducemque prophetarum Christum celebrarunt, Paulusque in dotum Spiritus Sancti numero reposuit προφητείαν.

Davididem fore Messiam, quod et Davidis memoria immortalis quodammodo praefinivit multaque ora-

*) vide Schoetlgen hor. Hebr. p. 419, Lightfoot ad Joh. 1, 21, a Coelln l. c. p. 495.

cula tradidere (Mich. 5, 1. Am. 9, 11. Jes. 11, 1. 10. Zach. 3, 8. 6, 12, de altera fama, ex qua multi Josephi seu Ephraimi subolem praestolati sint vid. a Coelln l. c. p. 497), Palaestinenses quidem ita pro certo videntur habuisse, ut prorsus sollemni hoc nomine (υἱὸς τ. Δαβίδ) uti adsuescerent. Inde urbem Christo intrante ea quoque exauditur ovantium hominum vox: εὐλογημένη --Δαβίδ (Marc. 11, 10.). Homo caecus, qui in via consedit, Nazarenum Jesum adventare certior factus magna voce exclamat: υἱὲ Δ. ἐλέησόν με. Quum autem non filii Davidis sed Messiae sit aegrotis mederi, iterum titulo singulari ob unam rationem usitato totam illius personam vides substitui (Matth. 20, 30. parall. conf. 15, 22. Luc. 1, 32. Apoc. 3, 7. 5, 5. 22, 16). — A Christi et verecundia et summa auctoritate ut de proavi humani claritate unquam gloriaretur longissime abfuit: quapropter non solum ostentavit nunquam illum honorem, verum pupugisse etiam Pharisaeos reperitur, qui minutis saepe quaestionibus occupati Davidiani seminis maximi excellentiam fecerint, siquidem hoc certe Christi consilium prodit locus ambiguus Matth. 22, 42. Apud Johannem vero, qui non a genealogia sed a divina Christi origine significanda initium cepit narrationis et omnino plura praeteriit caeteris cariora, ne semel quidem exstat nomen υἱὸς τ. Δαβ. Obscuratur enim ut infra videbis Davidis natus Dei filii gloria et majestate. Paulus denique ubi Christum in epistolis dicit γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβίδ (Rom. 1, 3 cf. 2 Tim. 2, 8), subjungit caute: κατὰ σάρκα, ne potissimam videatur hanc laudem statuisse.

Ideo haec a me breviter enarrata sunt, primum ut neque parcum nec definitum acriter esse reliquorum nominum usum, quae unam fere eamque vulgarem cogitationem continerent, deinde vero ut haud raro sententiae discrimen aliquod cerni ostenderem, si quae attributa vel a Judaeorum multitudine vel a discipulis

in Christum vel ab ipso in se conferuntur. Si quam igitur nominis notionem plerisque illo tempore probatam deprehenderimus, jam quomodo ipsi Christo rata et in epistolis adhibita atque explicata sit, de integro recte quaeremus; quod in re nunc fusius tractanda utilissimum erit animadvertisse.

§ 5.

Θεογενεῖς.

Quum nomina illa supra breviter recensa e Judaeorum praesertim moribus et cogitatione atque spe singulari profecta sint, jam ad Dei filii attributum clarissimum progressuri altius etiam rem repetamus, neque illud, quo multi delectantur viri docti, aversemur, ut ad Graecorum aliarumque gentium opiniones respiciant. Apparet vero mythologiae antiquae tum ea ratio, ut deorum dearumque magnus coetus cogitatione fingatur, tum altera quoque, ex qua mortalium genus cum illis commercium aliquod habuisse traditum sit. Gignuntur itaque dei atque gignunt mortalium instar, nec suis tantum finibus immortalium genus inclusum est, verum ab iisdem hominum etiam quorundam ducitur origo. Hanc terram tanto coeli intervallo ab iis remotam hominumque tecta digna habent quae adeant, neque ita etiam cum illis dubitant versari, ut multos quasi semideos gemino quodam et impari partu editos esse fama sit. Sic coeli Olympique aeterni habitatores revertuntur rursus ad eundum mundum, ex quo tanquam universarum rerum materia principio exorti esse tradebantur. Alio modo in Indorum fabulis, quoniam illae nationes tota imaginandi specie magnopere differunt, alterum ex altero nascitur atque emanat numine, usquedum ad homines ipsos generatio descendat. Itaque secundum hasce fabulas poëtarum elegantia exornatas multi sane non vocabantur sed erant ex vulgi opinione

Jovis seu deorum nati, sensu proprio et naturali nomine Διογενεῖς afficiendi. Quoniam vero hi non mediocres esse poterant neque fortitudine animique magnitudine cuiquam secundi, optimo cuique proavum quaerere caelestem eosque praestantissimos ducere gaudebant, quorum ortus ad tantos genitores relatus esset. Quo studio filiorum istorum numerus valde adauctus est, quum praeter heroës Jovis, Apollinis, Martis filios sic dictos, si quis gloria et animi corporisve virtutibus eos aequasset, seu artis exercendae sollertia adeo excelluisset, ut vix posset ab aliquo homine edoctus esse, eum genitum esse a deorum aliquo et educatum dictitarent. Non est quod varia horum cognomina enumerem, quibus nullos distinguendos fuisse patet, nisi penes quos auctoritas esset summa, reges, judices, heroës, postremo celeberrimos gentium moderatores. Ad tale titulorum genus quum nonnulli theologi Christi etiam honores revocare vellent (ut Ilgenius in commentatione de notione tituli f. D. cf. Paulus Memorabilien p. VII), haud injuria alii v. c. Tittmannus (Meletemata p. 59) monuerunt, paganorum principes Dei filios dictos esse „non honoris causa ad indicandam muneris excellentiam (certe haec non prima fuit causa), sed quoniam reges et heroës putabantur esse prognati a Jove aut alio Deo.“

§. 6.

Hebraeorum Dei filii.

Nostris quidem his diebus, quum multi viri demonstrarint, non posse gentis cujusdam mores ex aliarum nationum prorsus ab illa alienarum placitis et opinionibus repeti vel explicari, idque agi apud Israëlitas quam maxime vetuerint, antiquum forsan videbitur, paganorum etiam me commenta etsi paucis in memoriam lectori revocasse. Movit me autem ut ita facerem, tum

ne quid forte desiderares, tum ut cum rerum comparandarum similitudine discrimen quoque clarius eluceret. Ubi unus colitur Deus rerum omnium creator et gubernator, nonne longius ab eo homines distant quam ut filium sibi quempiam destinasse recte dicatur? an possunt tanta fortuna efferri, quos ad suam finxit formavitque imaginem? Quodsi inter Hebraeos de dilectis quibusdam Dei filiis sermo erat, non video unde nasci potuerit haec informatio, nisi et ex spiritali, quae numini aeterno cum humano genere intercederet, necessitudine cognita et ex idea theocratiae adeo insita animis illorum, ut tum se omnes propiores Deo et cariores esse conciliato foedere sacro, tum principibus uti in paternam Jehovae gratiam receptis existimarent.

Hae rationes in moralibus rebus atque internis sitae a semideorum cultu, a fabularum portentis, a prava divinae substantiae cum materia commistione quantopere abhorrent! Species tantum quaedam sententiarum similium restabunt, ubi ipsa in partes diversas discedunt religionis principia.

Primum quod Dei angeli appellantur בְּנֵי־אֱלֹהִים (Job. 1, 6. 2, 1. 38, 7. בְּנֵי־אֵלִים Ps. 29, 1. 89, 7), non iniquum fuit ad officiosam eorum tanquam ministrorum obedientiam cum quadam naturae divinitate conjunctam referre: etiamsi nihil statuam de insigni Geneseos narratiuncula (6, 1. sq.), qua filii Elohim ex hominum filiis ingens heroum genus traduntur peperisse. Poëtis deinde homines omnino Dei liberi sunt amoris fideique cum eo vinculo juncti (Ps. 73, 15. Prov. 14, 26), inter quos servata illa imagine Hebraeorum natio selecti vel primogeniti filii titulum honorificum accipit (Hos. 2, 1. 11, 1. Exod. 4, 22. 23. Psalt. Salom. 17, 30. 18, 4). Quo major vero populi honor, tanto altiorem Israëlitici reges, qui judicum brevia imperia sequebantur, locum obtinebant. Hos enim ad dextram quasi stantes solii divini, simulacra suae potestatis, ar-

bitrii testes maxima auctoritate praeditos reddidit Deus. Hos, simulac regnum suscipiunt, invisibilis regis vice et officio functuros suo robore spirituque adjuvit (1 Sam. 10. 6. 16, 13. 14. 18, 12). Qui si prae caeteris filiorum Dei nomine ornati sunt, in universo formulae usu gradationem quandam observasse mihi videor, quum de cunctis primo hominibus, tum de Hebraeis, tandem de summis eorum praeceptoribus adhibeatur. Altissimus vero qui nominis locus fuerit, Messiae quoque regia seu potiore etiam dignitate tributa, facili quisque conjectura assequetur.

Ex duorum maxime locorum interpretatione epitheton nostrum, quod in Jesum Christum transiit, similiter atque alterum Χριστός viri docti petendum esse censent. Davidi Deus aeternam stirpis felicitatem spondens regi egregio ex illo oriundo patrem se eumque sibi filium fore praenunciat 2 Sam. 7, 14. LXX: εἰς πατέρα — εἰς υἱόν). Haec verba voluntatis mutuae non naturae vinculum indicant, quo futurum sit, ut illi Deus tanquam ministro succurrat atque faveat ut filio pieque ab eodem colatur. Naturalis enim ac necessariae consortionis potestne ulla omnino esse pollicitatio? At non Messiam verum filium Davidis Salomonem significari, templi splendidi conditorem (vs. 13) nonnunquam etiam ubi peccaverit Deo castigandum (vs 15), dudum interpretes e verbis proximis perceperunt. Eo graviorem Psalmus secundus fecit controversiam, quod carmen magnificum paucis quidem de Messia, pluribus de aliquo rege sive Salomone sive Hiscia aliove agere visum est. Hi enim inter verba Dei: „unxi regem meum in Zione monte sacro (vs. 6)," et quae proxime sequuntur: „filius meus tu es, ego hodie genui te," vix esse ajunt sententiae discrimen, duoque nomina Χριστός et υἱὸς τ. ϑ. (cf. vs. 12) inde tanquam aequipollentia derivant. Nimirum licet posterius illud celsioris etiam majestatis documentum sit, ha-

bes tamen eam non natura filio insitam virtutem, sed in eum certo tempore (hodie) simul cum imperio capiendo abunde collatam, quod non convenit, si quis de Christo praedici sentiat. Caeterum vero in carmine toto tam sublimem principis a Deo sanciti mihi cernere videor imaginem expressam, quae unius regis laudes excederet atque altiorem etsi inscio poëta et Messianae affinem ideam exhiberet.

Praeter hos locos, quos et Judaeorum scriptores accepisse de Messia (vid. Schoettgen de Messia p. 227) et ad Jesum relatos esse (Act. 2, 30. 13, 33. Hebr. 1, 5. 5, 5 Matth. 22, 43*) novimus, aliorum huc pertinentium lector recordabitur, v. c. Ps. 89, 27. 28 („is compellabit me: tu pater meus es, — imo eum inquit primogenitum constituam"), cf. Ps. 87, 4. 6. Quae de sanctissimo rege, judice, aetatis aureae auctore divinitus constituendo vaticinatur Jesaias cp. 11, quae in eundem attributa egregia congerit 4, 2. 9, 6, etiamsi suam quodque haberent vim, poterant certe ad communem nostri nominis sententiam revocari.

§ 7.

Materiae partitio.

Quum locorum ad recensendum nobis propositorum magnus numerus obveniat, ordine ac dispositione opus est, quo facilius partibus quibusdam singula subnectantur. Permulti viri docti, qua diversa ratione Jesus in N. T. Dei filius dictus sit, quaerentes usum nominis triplicem seu quadruplicem proposuere: primum physicum paucissimis locis obvium, inde Messianum

---

*) Matth. 2, 15 aufugisse Josephum cum parvulo Jesu narrans evenisse hoc tempore tradit, quod Hoseas 11, 1 effatus sit: ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου, itaque adhibuisse locum ad Hebraeorum gentem referendum non interpretatus esse dicetur.

Judaeis tunc temporis acceptum, tum moralem, denique metaphysicum, quo naturae Christi illustretur divinitas. Simplicius alii omissa tertia classe physicam, Messianam et supranaturalem distinguunt significationem.*) Hanc rei partitionem num ita forte accipies, ut singulas a singulis notionibus discedere, conjunctas autem totum quod verum sit conficere putes? unde vel Messianum a rerum moralium et metaphysicarum finibus excipiendum sit. An potius easdem significationes in tantum credamus inter se discrepare, ut quum una caeteris adversa sit, nequeant eodem tempore omnes comprobari et conferri in unius Christi personam? Nomini metaphysice dicto subestne forsan aliquid, quod repudiet Messianam sententiam seu physicae repugnet? A priori ut dicunt non audeo rem excutere.

*) cf. Wegscheider instit. p. 303 edit. VII, Bretschneideri lexicon s. v. υἱός, Michael Weber: de natura Chr. f. D. Hal. 1825. V. Cl. Ammon (Fortbild. d. Chr. I, p. 225) distinguit in nominis usu sententiam tum nationalem et moralem, tum idealem et mysticam. Idem in libro prius edito: „Biblische Theologie“ (vol. I, p. 182 sqq. edit. II) omnes utriusque Testam. locos comprehendens sensu quadruplici legi nomen statuit: physico, morali, politico, tandem transcendentali sive metaphysico. Quod metaphysicum attinet, sitne re vera in quibusdam dictis perspicuus, magnopere in dubium vocat Coelln (Bibl. Theol. II, p. 96. 97. coll. pp. 298—302). Contra filii quid proprium sit, minime in ornamentis quibusdam vel physicis vel moralibus, verum in infinita substantiae et efficacitatis cum numine summa consortione videtur situm esse Matthiesio (Propaedeutik des N. T. p. 256). In eo plerique opinor viri docti consentiunt, quod locorum nostrorum alteri classi historicam, alteri potiorem vim et magis dogmaticam vindicant. Cum fructu praeterea conferes: Baumgarten Crusius Bibl. Theol. p. 375 sqq., Knapp Vorlesungen über d. Glaubensl. II. p. 192. sqq., Hase Lehrb. der evang. Dogmatik p. 331 edit. I, Tittmanni Meletemata p. 55. 397 passim, aliosque libros apud Wegsch. et Baumg. laudatos.

Ne igitur id ipsum, quod quaeritur quoque omnis disquisitio prospicit, statim ab initio posuisse videar, postposita illa partiendi ratione, quae num valeat, e singulis examinandis infra consequi velim, externo quodam et historico ordine utamur. Quemadmodum in nominibus supra allatis haec tria distinximus: vulgarem Judaeorum cogitationem, ipsi Jesu quid fuerit probatum, et quem doctrinae locum in epistolis epitheta teneant; simili modo jam locis expositis, ubi titulus cum aliis conjunctus occurrit, graviora de Jesu f. D. dicta eventis etiam confirmata inquiramus, inde ad ipsius Christi de se sententias et ad apostolorum doctrinam progressuri.

§ 8.

Filii cognomen cum aliis compositum.

Inter caetera nomina, quae nullo habito verborum delectu Christo tribuuntur, nostrum quoque haud raro deprehendi supra vidimus. Ubi autem vocum variarum largus et fortuitus usus est, solet rei etiam iis omnibus significandae communis quaedam certaque animis notio obversari: nec tum nomina rursus acriter discriminantur, si cujus hominis, quem sumus nuncupaturi, notam plerisque auctoritatem atque personam habemus. Qui fit, ut Nathanaël ubi primum oculis dominum conspexit, hisce eum venerabundus adoret Joh. 1, 50: „tu es profecto D. f., tu Israëlitarum rex?“ Nec divinam Christi dignitatem neque quod is populi princeps foret, ex adspectu et colloquio ejus scientiaeque mirabilis documento satis internoscere poterat. Messiam vero advenisse intellexit, quem ipsis illis pluribusque nominibus colere aequum esset. Simillimis verbis quum Martha post Lazarum defunctum obviam Jesu procedens intimam animi persuasionem profiteretur Joh. 11, 27: *σὺ εἶ ὁ Χρ. ὁ υἱ. τ. ϑ. ὁ εἰς*

τ. κόσμον ἐρχόμενος, non valemus quid habuerit in mente accurate describere. Sive enim Jesu verba egregia (vs. 25) de opere Messiae adscripto accepit, ex quo cum Judaeorum justissimis in vitam revocandis augustum regnum inchoaturus esset, sive de Christo coelestis vitae lucisque fonte altior ipsi cogitatio contigit, poterat utraque ratione ad edenda illa verba Messiam sospitatorem efferentia (ὁ ἐρχόμενος Joh. 4, 25. Matth. 11, 3. Luc. 7, 19. 20) concitari. Quod libere Martha profitetur, de eodem postea Jesum captivum summus sacerdos interrogat. Quaerunt enim Pilatus et Judaicus pontifex e Christo pro suo uterque loco et officio, ille num rex, hic vero ipsum Deum testatus num Christus Dei filius sit (Matth. 26, 63 ὁ Χρ. ὁ υἱ. τ. θεοῦ. Marc. 14, 61 τοῦ εὐλογητοῦ). Utrique rem asseverat Jesus percontanti, nam formulae σὺ εἶπας affirmandi esse potestatem, quod addubitat de Ammon (vide Fortbild. des Chrth. I, p. 237) Lucae verba ἐγώ εἰμι (conf. Joh. 18, 37) demonstrant. Ad Messiae nomen ὁ Χριστός significantius appositum est ὁ υἱὸς τ. θεοῦ dignitatis summae proponendae causa, quam nemo contra veritatem sibi arrogare deberet. In nominis notione circumscribenda, num ab inveterata plerumque cogitatione discesserit vel subtilior fuerit sacerdos literarum sacrarum peritus, nescimus. Luc. 22, 67—70 sacerdotes omnes praesentes interrogatione illa Christo instant: εἰ σὺ εἶ ὁ Χρ. (vs. 67) — σὺ οὖν εἶ ὁ υἱὸς τ. θ. (vs. 70).

Placet his locis alium eumque celeberrimum propterea addere, quod item connexa exhibet duo nomina. Quum data occasione et multitudinis de ipso opiniones renunciare et quid ipsi existiment discipuli libere eloqui a Jesu jussi sint, silentibus reliquis unus Petrus exclamasse fertur Matth. 16, 13: σὺ εἶ ὁ Χρ. ὁ υἱ. τ. θ. τοῦ ζῶντος, Luc. 10, 20 ὁ Χρ. τ. Θεοῦ. Quam sententiam tanti aestimat praeceptor, ut id quod

dixerit, non e vulgari humanaque consideratione haustum sed divinitus Petro traditum esse confirmet. De nomine quidem Christo tribuendo, praesertim quum antea jam illud de eo auditum esset (Matth. 3, 17. 11, 3 sqq.), poterat haud insolito modo edoctus esse: cur igitur, nam in ea re potissimum haeserunt interpretes, quod ne caeteris quidem inauditum erat, e divina quadam institutione derivatur (vid. de Wette exeg. Handb. p. 142)? Ut dicti ipsius magnum pondus est, ad *Θεός* adposito *τοῦ ζῶντος*, quod tum maxime reperitur, si quis Deum vivum verumque et oppositum rebus inanimis magno cum animi motu appellat, sic quod mente tenebat praeclarum fuisse et dignum Christi discipulo opinamur. Quum igitur altius Jesus Petri in animum introspexisset, potuit non nominis honorisque notitiam sed mentis cognitionem fiduciamque eximiam, quam non sine Dei auxilio adeptus esset, tanta coram caeteris asseclis laude afficere. — Recte conferunt cum hoc loco Joh. 6, 69, ubi eodem modo Petrus omnium nomine respondens Dei filium Christumque Jesum declarat: optimi vero codices pro longiore formula hic habent: *ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ.* *)

§. 9.

Ejusdem fere generis loci.

Est etiam ubi solam appellationem positam neque tamen ab illarum vocum sententia longe remotam reperimus.

*) Confudisse Judaeos nomina *Χρ.* et *υἱ. τ. ϑ.*, ut eundem acque Messiam significarent, Olshausenium video infitiatum (Bibl. Commentar I, p. 105. 6, edit. III.) allatis iis exemplis, quibus alterum filii attributum ut accuratiorem notionem continens alteri postpositum est. Sed interdum praepositum etiam reperies. Honorem nominum Judaeis aequalem fuisse non dico, quidni enim illud longe magnificentissimum Messiaeque in primis proprium habuerint? usum dico liberiorem et satis promiscuum.

Sic homines illi (Matth. 14, 33.) una cum Jesu per lacum vecti Tiberiadem, simulac sedatos fluctus ipsumque supra mare ambulantem conspexerunt, stupore magno perculsi hunc Dei f. esse (θεοῦ υἱός sine articulo) vociferantur. Qui cruci postea affixum Judaei ut sine mora se eripiat morti, contumeliose invitant (Matth. 27, 40. εἰ υἱ. εἶ τ. θ.), naturae quasi Messiam praepositum habent, cui imperanti vires maximae praeter modum terminumque solitum obtemperent: ita vero, ut a Deo donata (vs. 43 ῥυσάσθω — εἰ θέλει αὐτόν) potentia utatur. Unde id quoque repetendum est, quod centurio ille (Matth. 27, 54 parall.), ubi animam exspirante Jesu horribilem terrae motum ceteraque mirifice eventa animadvertit, fuisse illum Dei natum confirmavit, prorsus consentaneum esse ratus, ut qui vivus maxima quaeque perfecisset, ejus mors quoque istis prodigiis celebraretur. Restat tamen aliquid offensionis in hoc dicto. Judaeorum aliquis, si quis militibus interfuit (οἱ μετ᾽ αὐτοῦ), vix poterat hoc tempore moribundum hominem turpeque supplicium perpessum declarare Messiam, at Romanus centurio quid unquam de Dei filio cognovit? Qua de causa, quum praeterea sine articulo nomen positum sit, Fritzschio hoc loco videtur Christus pro numinis alicujus nato ethnicorum more habitus esse. Neque vero eandem sententiae vim esse putaverim, ac si e Judaeorum aliquo audiretur, quamquam articulus quidem non hoc loco unico abest. Quantum vero valeret, facilius perspiceres, si virum vel rerum Judaicarum vel fortunae Christi fuisse peritiorem conjicere liceret.

Sed non homines soli, verum daemones etiam, quod hic placet commemorare, nosse Dei filium et quasi humanis ex oribus invocasse traduntur. Nam Marc. 3, 11 et Luc. 4, 41 aegrotantes nonnulli daemonibus istis obsessi ad Christi pedes, priusquam sanantur ab eo, sese prosternunt, eademque verba saepius jam

laudata eloquuntur. Neque aliter in agro Gadareno lymphaticus obviam Jesu factus: „quid tibi mecum negoti, Dei fili (Luc. 8, 28. parall.)? noli intempestive me cruciare.“ Quid ergo? Ut diabolus eum cui semper obstiterit novisse Deum fertur, sic jam perditi genii illiusque imperio subjecti, qui ut Jesus Dei filius ita ipsi *υἱοὶ τ. πονηροῦ* (Matth. 13, 38.) appellantur, alterius quasi regni principem sanctum ac potentem adesse sibique imminere celerrime sentiunt. Lepide de Wettius ad secundum locum: „*sie erkennen ihn aus natürlicher Antipathie*,“ neminem sibi magis tum natura adversum tum potentia superiorem esse scientes (aliter Olsh. l. c. p. 296). Obscurior res erit, si istos homines, quod nostrum plerisque videtur, non spiritibus singulis sed morbis ac vesania misere correptos fuisse putamus, ut ex ipsa furentium conscientia perturbata haec dicta prodierint: nec tum, si narrationis fides est, quicquam relinquitur, nisi ut adesse Messiam peccatorum castigatorem seu fama novisse rerumque gestarum adspectu, seu ineffabili quodam animi sensu dicamus eos percepisse. Pertinet quoque eodem, quod satanas in deserto miracula, quibus Dei se filium praestaret (*εἰ υἱὸς εἶ τ. ϑ.* Matth. 4, 3. 6, ubi articuli absentiam excusarunt Fritzsche Comm. I, p. 139, et de Wette ad h. l. cf. Luc. 4, 3 9), a Jesu flagitavit.

§ 10.

Disseritur de locis hucusque allatis.

Quae in antecedentibus exempla collegi quamquam valde inter se diversa id simile opinor habent, quod nomen nostrum et ab aliis Christo tribuitur iisque vera fide et cognitione ejus nondum imbutis, si ab uno Petro discesseris, nec tam ipse Jesus quam miranda ejus potentia tanta laude ornatur: quod utrumque bene con-

cinit inter se. Christum enim qui nondum norant, neque pectore toto consilium ejus amplexi erant, eos splendide facta admirari maluisse quam sequi et sincere colere servatorem probabile est. Ac Judaei praesertim tunc temporis visu magis rerumque externarum specie delectati, quam ad animos pervestigandos intenti, excellentissimum quemque pro facinorum magnitudine aestimabant. Quum igitur quibus e rebus Messiae auctoritas spectaretur traditum haberent, Christi quoque vitam et negotia illo modo ponderabant, speciosa saepe de coelo signa poscentes, eoque summas Messiae referebant laudes. Ex quo vides dicta illa historici magis esse quam dogmatici argumenti: nam et ad munus Messiae et ad summam ejus potentiam et amplitudinem celebrandam Dei filii quoque nomine usi sunt. Hac quidem in nominis circumscriptione de natura personaque Christi haud multum statuitur, nisi quod omnium primus et tanto honore viribusque tantis condonandis dignissimus fuerit necesse sit. Super humanae conditionis fines communes etsi extolli eum concedamus, divinae tamen indolis qui modus locusque statuatur, non liquet. Decebat omnino Christum, quod egisse eum supra ad vocem *Χριστός* notabam, ut neque semper fugeret neque ullo modo exposceret populi laudationes, verum a discipulis primis recte coli vellet et cognosci.

Sed quae vocis alicujus dictive significatio sit, non a priori ut dicunt perspicimus, neque immutabili quadam et constanti efficitur vocabulorum vi, sed e loquentium quoque ingenio atque intelligentia pendet. Nam quo quis ampliora et subtiliora mente complexus est, eo uberiorem, ubi eloqui illa volet, attribuet nimirum verbis sententiam: ut iidem soni ab alio homine alio haud raro sensu modoque fundantur. Ac nostram hanc verborum complexionem ita vidimus comparatam esse, cui alius aliam facile notionem substituat. Latior

enim regio ad animo concipiendum aliquid notionemque formandam suppetit, ubi improprie et ad quandam similitudinem videtur expressum esse. Deinde cum rebus variantibus alio directi animi eas quae respondeant illis rebus sententias commutant: unde vetus aliqua informatio, quum eam recenti et integrae rei imposueris, novetur. Quare si cui exspectationi eventus respondit, jam adeo valet quod evenit, ut ad normam rationemque ejus accommodetur omnis opinio; quae haud aliter in nostra causa sese habere nemo fere diffitebitur. Ipse Christus laudum suarum testis, vindex, interpres maxime verax exstitit, vita sua et natura honores confirmavit. Jam igitur, postquam in antecedentibus Judaeorum in primis mentem scrutati sumus, ad Christi vitam fortunamque propius adgressi, quo pacto inde ab adventu inter homines tantum dignitatis gradum occupaverit et sibi docendo vindicarit, quaeramus.

§ 11.

Filius Dei natus.

Virginali partu per spiritum sanctum e Maria Jesum editum esse, Lucam et Matthaeum quamvis suo utrumque modo tradidisse, nemo ignorat. Apud Lucam Mariae angelus coelestis cum Josepho nondum nuptae filii ipsam matrem fore adnunciat, idque per Dei efficaciam eventurum esse haesitanti puellae persuadet. Ex suavissima hac narratione tractandi hoc tempore nobis offeruntur vs. 32 et 35 (cp. 1), in quibus de infante procreando divinus nuncius vaticinatur: *ἔσται μέγας καὶ υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται, διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθ. υἱὸς θεοῦ.* Utraque haec verborum series num idem continet eandemque movet de Christo exspectationem? Prius hoc: *ἔσται μέγας* additis *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ,* praestantissimum fore justi-

tia et bonitate graviumque facinorum auctorem, de Johanne etiam filio Zacharias ex angeli ore accepit (Luc. 1, 15). Quibus tum excellentius epitheton accedit: *υἱὸς ὑψίστ. κληθήσεται* eo amplius confirmatum, quod Deus Davidis illi solium traditurus ejusque regnum in omnem posteritatem dicitur conservaturus esse. Articulum ante nomen *υἱὸς ὑψ.* ne desideres: nam deesse solet ante vocem *καλεῖσθαι* (v. 35 Luc. 1, 76. 2, 23. 15, 19. Matth. 5, 19. 1 Cor 15, 9. 1 Joh. 3, 1. aliter Hebr. 3, 13), quod constat valere declarari, haberi simulque esse. Habemus igitur hoc, quale alibi quoque deprehendimus, regis summi et sempiterni vel Messiae vetus jam imperium restauraturi praeconium. Non eadem sequentis commatis ratio et significatio est. Clarius enim posteris his verbis ex ipso Jesu ortu insignique genitoris Dei efficientia repeti puto, quod sancta proles Deique filius sit futurus (*διὸ καὶ τὸ γεν. κ. τ. λ*). Nascetur sanctum, et paternam quasi homine gignendo vim suam Deus exhibebit. Et Davidis et Dei filium unus quodammodo hic nuncius complectitur, cujus altera pars potestatem externam et res Christo gerendas altera ortum supranaturalem adumbrat. Quod brevis illa declaratio adventui Christi praemissa duplicem hujusmodi comprehendit de filio Dei cogitationem, propterea memorabile duxi, quod ad omnis de qua agimus doctrinae indolem vidi pertinere, ut moralem seu historicam notionem contineat cum ontologica utcunque subtilius definienda conjunctam. —

In Matthaei narratione 1, 18—25, quam nobilis et veneranda futura sit Mariae progenies, ad nomen proprium *Ἰησοῦς* (vs. 21) omissa nostra appellatione relatum est. Fore enim eum Judaeorum, nam hi soli nominantur, sospitatorem, culpae redemptorem. Verba: *τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πν. ἁγ. κ. τ. λ.* aperte declarant mirificum procreantis divini roboris auxilium;

num vero Dei filii nomen ac virtutem inde probare voluerit scriptor, etiamsi haec facilis conjectura sit, ambigitur. Tandem in lexico Bretschneiderus hoc loco laudavit Marc. 1, 1 additis his quoque exemplis Matth. 27, 54 et Marc. 15, 39, quae supra a nobis commemorata nollem V. Cl. illuc retulisset. Exorditur hisce Marcus librum: „initium laeti nuncii de Christo D. f.“ (υἱοῦ τ. ϑ.), qua in verborum brevitate, quum in proxime sequentibus illius attributi nulla mentio fiat, quis e scriptoris animo interpretationem certam eliciat? cf. Fritzsche, Comment. in Marc. p. 8 sqq.

At quantopere Matthaei haec Lucaeque narratiuncula de Jesu ortu, quo simplicior eo magis ornata, — quam vehementer distraxit interpretum animos de vero quaerentes! quanta inde ab Ebionitarum aetate orsa ad nostros usque dies pertinuit hodieque de integro surrexit disceptatio! Neque minus ipse in angustiis forem, si rem tot difficultatibus tum externis tum internis tentatam ab omni parte discutere hoc tempore (vid. Winer, Bibl. Realwörterbuch I, p. 661—63) cogerer. Pauca tantum, quae ab hac causa non aliena esse existimavi, haec dicam.

1) Inde quod Matthaeus Jesaiae vaticinium 7, 14 de natalibus Messiae interpretandum testatur, conjectare forsan licet, ἀπάτορα fore Messiam jam inter ipsos Christi aequales fama quadam seu opinione divulgatum fuisse. A Straussio quoque V. Cl. in hanc sententiam video disputari (Leben Jesu § 29, p. 233 edit. III), ex qua alia etiam V. T. dicta ut Ps. 2, 7 ad verbum explicata habendae illius opinionis et propagandae ansam praebuerint. Tamen neque priores v. c. a Coelln l. c. I, p. 498 nec novissimus librorum Judaicorum scrutator Gfroerer certa hujus rei argumenta protulerunt, quum recentioris modo temporis vestigia quaedam eo referenda exstent in libris non absque rerum Christianarum notitia conscriptis. Si vero Judaei de

de filio Messia illo modo oriundo Christi quidem aetate non locuti sunt, neque quod narratur in N. T. opinionibus Judaicis inconsiderate admiscendum est. Qui vero remotiora etiam auxilia circumspicientes ethnicorum fabulas allegant et commenta de viris maximis similem in modum enatis, ne res diversas inter se confundant, admonendi sunt.

2) Physicam hanc quam vocant nominis intelligentiam num solum corpus Christi attinere recte dixeris? Dubito equidem, nam anima quoque generatur totaque hominis natura prodit et emergit quasi e suo semine. Quod igitur Lucas de Dei f. nato memoriae mandavit, potioris ejus argumenti atque sententiae est, ut non humanae naturae singularis virtus sed nativa quaedam toti Christo servatori tribuatur divinitas. Id quod prophetis caeteris adultis jam Deus donavit, Jesu priusquam homo nasceretur superne insitum fuisse legimus. Ergo etiam ad res metaphysicas respicit, quod cum aliis supra physicum dicebam.

3) Quoniam vero unicus ille locus reperitur isque cum Matthaei et Lucae stemmatibus male congruens, quo scriptor ex ipsis Jesu primordiis divinum filii honorem illustret, hanc principem ac verissimam notionem esse, qua neglecta obscurum maneat nomen, nemini concesserim. Toties Christus de se ipso disserens quam maxime Deo cognato ad humanae vitae principium mirabile nunquam redit: semper fuisse sibi Deum patrem omisso humanae conditionis primordio confirmat. Apostolorum autem quemquam, etsi data interdum opportunitate, (v. c. ubi Christus cum Adamo confertur, cui et ipsi nomen contigit υἱὸς τ. ϑ.) inde petiisse et explicuisse, quid in Christo fuerit divinum, negabit sine dubio sanus interpres, nisi forte detorserit Rom. 1, 3. Gal. 4, 4. Hebr. 7, 13.

§ 12.

Dei filius inauguratus.

Quemadmodum reges, cui loco eminenti a prima infantia destinati et reservati fuerunt, ad eum sollemnibus quibusdam cum pompa publica promoventur, ita Christus e sacra inauguratione summum munus omnemque inter homines auctoritatem rite obtinuit. Baptismi enim sacrum ritum subit ex vita privata in publicum procedens, ut qui jam antea fuerit, eundem esse eum ipsi homines intelligant. Iterum, dum instituitur sollemne, nulla alia nisi Dei filii laus ac potestas a numine de Christo pronunciatur (Matth. 3, 13—17. Marc. 1, 9—11. Luc. 3, 21—22 coll. Joh. 1, 32—34). Duplici sensu quum Jesus ex aqua emergit, divina percipitur significatio: columba oculis obversatur sancti spiritus dulcis imago e coelis patentibus delata, dum in aures coelitus descendit vox. Utramque Jesum sensisse Matth. et Marc. affirmant, Luc. breviter accidisse illa, Joh. alio modo baptistae solius sensibus animove oblata esse narrat. Fusius in hac re versaturo interpreti en quot quantique injiciuntur scrupuli, quos frustra studerem hoc loco plane evitare!

Quodsi ab aliis praeter Christum hominibus prodigium animadversum esse non aperte negant auctores tres, quartus vero Johannem certe visionis videtur participem facere, quid obstat, quo minus rem non tam propter ipsum Christum quam aliorum gratia putemus accidisse? Id enim nemo dicet, vel a Christi auctoritate alienum vel Deo indignum fuisse, quod ritus sollemnis per coelestia signa etiamsi non accurate hodie describenda, quibus illucesceret ejus honor et majestas, egregie illo tempore amplificaretur. Si ita judicabis, nequaquam hac occasione redditus est Dei filius et in paternam Dei gratiam receptus, sed ostensa ejus et declarata inter homines amplitudo. Cui expli-

cationi melius Matthaei verba respondent: οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου, auditoribus quasi accommodata, quam Marci et Lucae: σὺ εἶ κ. τ. λ. Caeterum verborum horum non nova enunciatio, sed qua Veteris T. dicta in memoriam revocantur (Ps. 2, 7. 18, 20. 2 Sam. 22, 20. LXX: ὅτι εὐδόκησεν ἐν ἐμοί): „Hic est mihi filius dilectissimus (de vocibus ἀγαπητός et μονογενής non confundendis, quamvis hic dilectus etiam unicus sit, vid. Fritzsche Comm. in Matth. p. 151. 52 et infra § 13), quem paterno amplexus amore vobis jam venerandum et audiendum proposui.“ His Dei erga filium benevolentia proditur et causa ipsius amoris, quod is cum Deo sociatus sit ideoque omnibus agnoscendus.

Sic omnia bene concordarent, abstinemus enim a miraculi recensendi negotio, si non alius generis dubitatione haud exigua vexaremur. Inaugurari filium hoc modo insigni diximus: uti vero cum regum consecratione conjunctum fuit, ut novo quodam instinctu animi commoverentur, simili modo Christum etiam facile dixeris delabente in ipsum columba coelesti spiritu donatum et concitatum esse. Quid ergo? si reliquorum gratia miraculum edidit Deus, neque ulla inde ad Christum redundavit vis, nonne omnis illa significatio inane quoddam evasit spectaculum? nonne vana species apparuit tribuendarum virium novarum? Contra vero, si quid contigit Christo illo tempore per Deum, non poterit hoc ab initio possedisse. Tunc injuste olim Paulus Samosatenus suam ob sententiam ab ecclesia condemnatus est. Sequitur inde, hanc fere discrepantiam esse inter natum Dei filium et inauguratum, ut quum utrinque pericula obstent, aut illius rei inanis aliquis adspectus auditusque relinquatur caeterorum cognitioni inserviens, aut caruisse Christum divina facultate concedamus, cui jam Deus novas animi dotes addiderit, seu ut nonnulli putant aucta ad munus in-

eundum confidentia labantem animum firmarit. Attamen solvendi nodi ingeniosi viri periculum fecere.*) Quemadmodum saepius Jesus, quae Judaeorum mos et religio ferebat, diligenter observavit, ita ne hoc quidem ritu perfungi eum dedecuit, quo non peccata abstergeret seu deponeret animi studium minus bonum, verum publico Dei ministerio quasi uno actu totum sese dicaret opusque perficiendum accederet. Non per speciem toties Deum precabatur neque errorum veniam petiturus, sed ut numen invisibile cum omnibus hac in terra degentibus adoraret atque ipse pii amoris sensu intimo frueretur. Hujus quidem, de quo dicimus, eventi vim ac rationem in eo positam esse arbitror, quod ad Jesu voluntatem et consilium summi Dei assensus insigni modo comprobatus accesserit, ut idem agentes et patrem et filium simul tueamur. Jesus aquam in se confundi curavit, ne opus jam maximum adgressurus ullo exercendae erga Deum reverentiae officio supersederet: Deus vero quasi de coelo salutavit verecundum filium, et ex inferiore loco ad honores debitos promovit. Ejusdem in columba superne demissa quam verba illa exprimunt divini favoris patrisque praesentis effigies cernitur, ut utrumque habuerit et potestatis suae et paternae voluntatis firmissimum documentum. Id si recte explicui, in conscientia Christi sensuque rei finis et effectus vertebatur, dummodo ne adeo eum humana indole exuamus, ut ne hac quidem Dei significatione eguerit.**) Gratissi-

*) Vide Luecke in Joh. Comm. I. p. 388 edit. II, et quae contra eum disputavit Strauss L. J. I, p. 455.

**) Poëtae haud raro corona laurea ornati munerique suo dedicati sunt, tametsi scirent homines, non posse illos, quod natura possiderent, ipsorum iterum benignitati debere. Erat tamen ad id accommodata inauguratio, ne internae poëtae de se persuasioni auctoritatis apud caeteros publicae testimonium deesset.

simum vero nobis est, id quod Dei filii nomen continet, pulcherrime in hac de baptismo narratione adumbratum comprehendere. —

Haud inepte alius quoque rei hic mentio infertur, quam Matth. 17, 1. sqq. Marc. 9, 2—10 et Luc. 9, 28—36 (cf. 2 Petr. 1, 17), quum Petrus Jacobus et Johannes una essent cum Jesu, in alto monte narrant evenisse. Eadem paene vox caelestis de nubibus audita diserta cohortatione finitur: αὐτοῦ ἀκούετε (Deut. 18, 15), ex qua ita rem ab auctoribus tradi videmus, ut spectatoribus, quo impensior Dei filii veneratio animos caperet, magnificum Dei praesentis indicium proditum esse appareat. Quid significet nitidus faciei candor vestibusque Christi circumfusus, quid nubis splendidae velamentum (Schechinah), quae sit duumvirorum visio ad Christi colloquium venientium, verbis illis expressa interpretatio docet. De sensu, quo hic D. f. Jesus dicatur, nihil statuo, nisi quod in magnificentia rei suppeditat. Dum preces mittit ad Deum (Luc. 9, 29), lucet filii splendor et gloria, quem et Deo subjectum et ipsis praepositum homines existiment. Clarissima luce figura ejus refulget, quem stare sublimem et inter omnes laudibus antecellere pater voluit. Conveniunt eundem antiqui foederis testes, ut jam adesse regni splendidi primordia pateat. Totius igitur honoris, quem gerendarum rerum initio consecutus sit, hanc amplificationem summam vocabis: atque Straussio de transfigurati Christi prodigio acutissime disputanti (l. c. II, p. 369—92), si quid objicere licet, velim illud maxime opponatur, quod rei narratae cum baptismo Jesu, cujus nuncii longe certior fides est, necessitudo quaedam intercedit.

De rebus gestis quidem et sensibus subjectis haec nobis disserendi opportunitas data est: nunc ad ea transeamus, quae primus Johannes in universum de Dei filio exposuit vel Jesum de se fecit eloquentem.

§. 3.

Dei filius λόγος.

Omni nuncio de Jesu natalibus, gente et infantia praetermisso philosophorum paene ritu ita Johannes praefatur, ut quo ex fonte Christi animus haustus et in terram delatus sit notissimis illis verbis adumbret. Cujus libri admirabilis eo diligentiore locorum plurium indagatione opus est, quod scribenti sibi evangelium id maxime auctor propositum fuisse ait, ut de fide Christo tanquam Dei filio habenda strenue lectoribus persuaderet (20, 31). Hunc cupiebat praecipuum inde ab hominibus fructum percipi. Quoniam vero in libri exordio non filii sed insigne nomen λόγου primum adhibuit, non possumus, quin id quoque theologumenon spectantes sitne eadem vel simillima an diversa utriusque vocis potestas inquiramus.

Videtur ejus generis esse Johannis placitum, quod et philosophi scrutentur et historici librorum sacrorum periti suo modo explicent. Non nostrum hoc tempore est, quae historici in illum finem collegerint enarrare, ab ipsius geneseos initio et Psalmorum multis locis exorsi, ubicunque Dei verbum effecisse omnia et spirantia reddidisse fertur, tum in Proverbiorum et Jobi clarissimis sermonibus versati, ubi divinae sapientiae obvenit imago, quam rebus omnibus praestantiorem veluti principem Dei progeniem perpetuo legimus Deum circumdedisse, delectasse, expressisse, usque dum ad Siracidae et Pseudosalomonis hypostaseos divinae pulcherrimas descriptiones ac tandem ad Philonis scripta et philosophiam deferrentur. Inde enim Johanni de Christi in terra adventu meditanti non argumentum sententiae sed formam vocemque oblatam esse existimant. Deinde quum philosophorum sit, cogitationem scriptoris animo amplecti, Deum et a mundo remotissimum esse et proximum rebus humanis docemur, ut qui

omnem totius vitae regionem vi atque motu suo pervadat. Quanam igitur ex parte proxime ab hominibus abfuit, eatenus praesentem ejus sive sapientiam sive rationem seu quocunque nomine vocandam vim habuerunt, quam eo vehementius colerent, quo clariora numinis opera in conspectum venissent. Hujus efficacitatis tametsi multa Johannes signa et vestigia respiceret, nullum tamen gravius documentum datum esse intellexit, quam ultimum illud, ex quo omnes propinquum ipsis esse numen cognoscerent. Nunc enim totius λόγου homines factos esse spectatores et participes, nunc vidit integrum tandem e coelo ad terram arcessitum. Quare idem λόγος, inquit, apud Deum est et ipse Deus, per quem adsunt et exstiterunt res universae, potenti animi robore homines aluntur, perenni luce collustrantur: eundem nuper vidimus nobis interfuisse. Homo factus ὁ λόγος, ad hanc enim sententiam principem progredimur, quum inter nos versaretur, et veri cognoscendi et adipiscendae Dei gratiae auctor (πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας), totam unigeniti Dei filii contuebamur majestatem. Eo enim, quod λόγος advenit et adsumsit carnem, quo splendore emineret Dei f., oculis nostris animisque reclusus est: quae non poterat ab omni parte intelligi excellentia, priusquam ille humana specie indutus adesset. Itaque vides in hoc versu 14 rei cardinem verti. *Μονογενὴς παρὰ πατρός*, sensu quidem ne diversum esse putes a μονογενὴς τοῦ π. nisi quod illud clarius indicat, profectum eum esse et missum a patre (vide Fritzsche l. c. in Marc. 3, 21 οἱ παρ᾽ αὐτοῦ, aut missi a Jesu aut cognati ejus). Quid valeat μονογενής*) perspicere

*) Recensere hoc loco operae pretium est, quae epitheta cum nomine υἱὸς τ. ϑ. conjuncta deprehendimus. Exstant vero attributa haec: ἐκλεκτός, ἅγιος, ἴδιος, ἀγαπητός, μονογενής, πρωτότοκος, quorum illa communis vis est, ut ipsius agnominis potestas

nescio, nisi ex omni in qua vox adhibita est sententia. In eo, quod divinae substantiae esse vel haustus ex ea fertur *λόγος*, per quem deinde cunctae res

---

vel augeatur vel accuratius circumscribatur. Ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ (קָדוֹשׁ de Deo et hominibus ministerio ejus dicatis, vid. Gesen. Lex. lat. et Steph. Thes. edit. noviss. s. v. ἅγιος) κατ' ἐξοχὴν Jesus vocatur Luc. 4, 34. Marc. 1, 24 ab homine daemoniaco, quatenus Messias non solum sacer sit Deo, verum similis etiam insigni animi sanctimonia. Postquam David ipse se dixit τὸν ὅσιόν σου scil. Θεοῦ (חֲסִידְךָ Ps. 16, 10) atque Aharon aliique Israëlitae vel muneris causa vel ob eximiam pietatem et religionem Jehovae sancti dicti sunt, multo magis Christum hac laude ornari oportebat. Quod ipsi Deo nomen est ὁ ἅγιος τ. Ἰσρ., populo autem ejusque principibus ὁ ἅγιος τ. Θ., in eo veteris foederis necessitudo conspicua est. Jam igitur per Christum servatorem toti generi humano sanctum et faventem sese praebuit Deus, et illum constituit voluntatis suae sanctissimum testem. Tum absolute ὁ ἅγιος Jesus appellatur Act. 3, 14, quod idem de Deo occurrit Apoc. 4, 8. Denique notanda formula: ὁ ἅγιος παῖς Θεοῦ i. e. sacrosanctus atque fidelis Dei minister, de qua infra fusius dicemus. — Adjungam ἐκλεκτός, quamquam id semel cum Christi nomine, non filii occurrit (cf. Luc. 9, 35, ubi pro ἀγαπητός nonnullorum codicum lectio est ἐκλελεγμένος). Divini favoris cum deligendo significatio cohaeret, quum pro libero Dei arbitratu deligantur, qui ei carissimi futuri sint. Hinc Jehova Israëlitas compellat τὸ γένος μου τὸ ἐκλεκτόν (Jes. 43, 20. 45, 4): idem de regibus exstat summa cum auctoritate creatis (v. c. de Saulo 1 Sam. 10, 24: ὃν ἐκλέλεκται ἑαυτῷ κύριος, ὅτι οὐκ ἔστιν ὅμοιος αὐτῷ ἐν πᾶσιν ὑμῖν), nec diversa ministri illius appellatio, quem alii Messiam alii coetum prophetarum dici vel populi partem nobiliorem arbitrati sunt. Itaque ubi nomini ὁ Χριστός adpositum ἐκλεκτός (Luc. 23, 35 cf. Rom. 16, 13), eum designat, quem Deus ex hominum quasi multitudine electum et prae caeteris dilectum suoque dignissimum amore praestare reliquis omnibus jussit. — Ἴδιον in universum est, quod vel natura vel sorte contigit alicui seu jure convenit, proprium, destinatum, debitum. De hominibus positum aut propinquos necessitate aliqua junctos (Gen. 14, 14; יְלִידֵי בֵיתוֹ, οἱ ἴδιοι

conditae et sustentatae sint, illud etiam comprehensum est, non debere quidquam praeter hunc unum eodem loco et numero haberi. Quodsi hanc *λόγου* naturam

οἰκογενεῖς αὐτοῦ) aut socios cum aliquo vel secum invicem voluntate constrictos significat (Joh. 13, 1. Act. 4, 23). Itaque verba *ὁ υἱὸς ἴδιος τ. θ.* (Rom. 8, 32) Bretschn. interpretatur *οἰκογενής*, quem non ex mundo assumtum sed sibi proprium possidet, quoque neminem habet arctius secum colligatum, quod ita intelliges, uti Pauli Christologia praescripsit. Opponi filium diserte electis Dei liberis *τοῖς θετοῖς* (vss. 15. 23) recusarunt de Wette et Koellner, quin Tholuckio et Reichio concederent: sed is certe *ἴδιος* dicitur, quem Paulus a mundo et a Dei filiis per ipsum futuris diversum esse novit. Similem emphasin habes in *πατέρα ἴδιον λέγειν τ. θεόν*, eo modo quo nemini praeterea fas esset, patrem suum dicere Deum, quod Jesum fecisse seque igitur illi parem perhibuisse Judaei criminantur Joh. 5, 18.

Jam vero ad voces *ἀγαπητός* et *μονογενής* paullo latiore adnotatione opus est, quarum potestatem atque pondus dogmaticum aut exaggerare interdum interpretibus placuit aut infringere. Amorem singularem vel sanguis gignit, vel mutuae efficit benevolentiae caritas: itaque *ἀγαπητός* i. q. *ἠγαπημένος* tum de liberis legitur, ut quibus carissimis sibi parentes gaudent (Marc. 12, 6), tum de familiaribus affectione animi conglutinatis (Rom. 16, 5. 8 *ὁ ἀγαπ. μου*, 1 Cor. 5, 17 *τέκνον μου ἀγαπ.*) unde orta apostolorum frequens ad ecclesiae cives suos tanquam ad fratres liberosve allocutio. Dei amor quum nulla re vehementius probetur, quam quod eos ad Christi adduxit pietatem, ad ecclesiam Romae nuper conditam Paulus scripsit Rom. 1, 7: *τοῖς οὖσι ἐν Ῥώμῃ ἀγαπητοῖς θεοῦ*. Quum vero aliquot locis ipse Christus, quippe qui sit Deo proximus ob mutuum amorem, inprimis *υἱὸς ἀγαπ.* dictus sit (Matth. 13, 17. 17, 5 coll. parall. Matth. 12, 18. Luc. 20, 13. 2 Pet. 1, 17. Col. 1, 13), Hesychio duce nonnulli unigenitum declarari filium censuernnt e locis vers. Al. (cf. Schleusn. Lex. s. v. et Bielii Thesaurum) dicendi usum illustrantes. Recte se habet quo provocant, Hebraeorum יָחִיד a LXX interpp. nunc versum esse nostro vocabulo *ἀγαπητός* (Gen. 22, 2. 12. 16. Zach. 12, 10. Amos 8, 10. Prov. 4, 3 *ἀγαπώμενος*), nunc altero

et originem exhibet posterior vocabuli pars (γένος, γίνεσθαι), prius etiam μόνον εἶναι eadem sententia continetur: neque poterat scriptor, quum talem filii

---

μονογενής (Ps. 22, 21). Ac fortasse iidem classicorum nonnullos locos in rem suam adhibere possunt, licuisse Graecis ostendentes ex peculari quadam loquendi consuetudine dilectum ἐξόχως compellare aliquem filium; quem proprie unigenitum vel unicum dicturi fuissent. Inter locos quos hunc in finem collegit Stephanus parvum pretium ni fallor hi habent ex Homero desumti: Od. 2, 365, ubi non e solo ἀγαπ. sed ex verbis adjectis μοῦνος ἐών unicum dici filium intelligitur; 4, 727 et 817, ubi Penelope haud secus Telemachum, si alios praeter illum natos habebat, vocare poterat παῖδ' ἀγαπητόν, neque Il. 6., 401 unicum esse filium ipsa verba produnt: Ἑκτορίδην ἀγαπητόν. Quod Plutarchus de mundo Dei filio secundum Platonis Timaeum disputans utrumque juxta collocat: μονογενῆ τ. θεῷ καὶ ἀγαπ. (de def. oracul. p. 667 ed. Reisk.), probare videtur, posteriori voci non necessario unici filii significatum subesse. Attamen Pollux affirmat III, 19, Hesiodo quidem auctore dilectum dicere licere, quo solo parentes utantur. Sic apud Xenophontem Gabrias quidam violenta morte filium sibi ereptum esse narrat eumque nominat nunc μόνον καὶ καλὸν καὶ ἀγαθὸν, nunc μόνον καὶ φίλον, nunc denique idem fere significaturus τὸν ἀγαπητόν, qui orbum ipsum moriens reliquerit (Cyrop. 6, 4. p. 285—88 ed. Bornem. et adnot. p. 287). Aristoteles de rerum expetendarum et fugiendarum gradibus ac rationibus agens ut longe cariora esse demonstret, quae singula singulis contigerint, quam quae idem duplicia seu multiplicia habeat, exempli gratia affert, longe acerbiorem caecitatem homini inferri unico oculo violente privato, quam illi, qui utroque adhuc integro usus sit, addens: ἀγαπητὸν γὰρ ἀφῄρηται (rhet. I, 7. p. 156 ed. Bekk.). Pro hisce exemplis (conf. Fritszche Comm. in Matth. p. 151) cum aliquo jure Suidas, Zonaras et Hesychius τὸ ἀγαπητόν interpretati sunt: τὸ ἠγαπημένον καὶ τὸ μονογενές. Neque frustra de aliorum vocabulorum usu haud dissimili quaerimus. Nam τηλύγετος, quod obscurae stirpis vocabulum ex τῆλε et γάω, γίγνομαι compositum esse putant viri docti, nihil paene apud Homerum valere videtur nisi valde dilectum et amatum, neque igitur sensum habet tam

ideam in animo haberet, non unigenitum eum profiteri, etiamsi celeberrimum illud posteaque in ecclesia servatum discrimen inter gignendum et procreandum,

---

in radice conspicuum quam usu loquendi definitum inde forsan repetendo, quod, quem procul a patria degentem aut minimum natu (τελευταῖος, ex alia vocis explicatione) habent parentes, cum singulari amore prosequi solent. Quocirca interdum etiam aequipollentia esse τηλύγετος et μονογενής Passovius notat (vide s. v. τηλύγ.) Nescio an alterum exemplum suppetat μόνος, quae vox quum haud raro excellentiam indicet et de eo legatur, quo melior nullus cariorque exstiterit (conf. Jacobs Anthol. 6, 350. 8, 43. 9, 48, Wetst. in N. T. p. 942), nonne e contrario licebat amatum eum aliquando nuncupare, qui unicus proprie seu, ubi de filio sermo est, unigenitus dicendus erat? At vero quoniam haec non plane inaudita apud Graecos locutio fuit et in versione Al. nonnunquam obvia, minime tamen quoties ἀγαπ. de Christo in N. T. occurrit, interpretari me jubebis unigenitus. Etenim nonnisi unum filium scriptores sacri agnoverunt, erga quem quum praecipuum esse patris animum et amorem arbitrati sint, non ad solam vocem ἀγαπ. verum ad totas illorum sententias haec consideratio referenda est. Nunquam praeterea ἀγαπητός in N. T. stricto illo sensu adhibitum reperimus, atque id ipsum, quod solus sit hic filius e patre profectus, singulari vocabulo expressum est. — Uti autem vocem ἀγαπητός cum notione unigeniti nonnulli commiscuerunt, sic alii contra vocabulum μονογενής restrinxisse ad solam excellentiae vel amoris paterni significationem reperiuntur. In primis Paulus V. Cl. nihil inesse vult nisi unicus, carissimus, quod non ortum sit ex γεννώμενος sed γενόμενος. Cui Lueckius respondit, neque exstare aliquam formam μονογέννης, neque nostram μονογενής ita usurpari a Graecis scriptoribus, ut alteram vocabuli partem, quae semper oriendi vel nascendi notionem contineat videantur neglexisse (cf. Paul. Comm. in Joh. 1, 14, Luecke Comm. in eundem l. p. 420 sqq. edit. I). Est quidem apud LXX ubi de re tantum unica improprie positum sit, uti de vita seu anima Ps. 21, 21 (יְחִידָתִי cf Gen. 49, 6 כְּבֹדִי) vel de hominibus solitariis Ps. 25, 16; sed in N. T. quum de hominum natis simplici semper sensu occurrat (Luc. 7, 12. Hebr. 11, 17 al., metaphorice in scriptis apocryph. de natione

quod de omnibus praeter filium rebus valeret, a Johanne non factum esse disertis verbis concedamus. Estne vero eadem prorsus nominum notio λόγου et

---

Israëlitica, adi Lexica), etiam ubi de Christo filio et λόγῳ apud Johannem legitur, praeter quem nullus unigenitum eum dixit (3, 16. 18. 1 Joh. 4, 9), vix potest unde et qualis ortus sit filius non a scriptore spectatum et pronunciatum esse. Retinet igitur opinor suam utrumque epitheton vim eamque adhibitam in Jesu dignitatem divinam varie celebrandam. Priorem vero et potiorem locum alteri vindicabis μονογενής, quippe quod illud simul efficiat et comprehendat, filium a patre quam maxime diligi.

Accedit denique πρωτότοκος quinque epistolarum locis Christo attributum, quod temere Erasmus et Michaelis in πρωτοτόκος i. e. primus genitor commutarunt. Pariter atque Hebraeorum בְּכוֹר de hominum et animalium primogenitis legitur (vid. Schleusn. Lex. τὰ πρωτότοκα τ. βοῶν Deut. 12, 17. cf. Matth. 1, 25. Luc. 2, 7), metaphorice tum eximiorum tanquam hominum laus ac prae caeteris a Deo amatorum de Israëlitis (Jerem. 38, 9: ἐγενόμην τῷ Ἰσραὴλ εἰς πατέρα καὶ Ἐφραὶμ πρωτότ. μου ἐστίν, cf. Ps. 89, 27. Hebr. 12, 23 ἐκκλησία τῶν πρωτοτ. de Christianorum primis emortuis veluti coelorum civibus nuper admissis). Vides non in τόκος hic sed in altero membro πρωτεύειν vim et sententiam sitam esse vocabuli. Improprium quoque est, si quis, quem tota agendi ratione sectatur ac fortissime defendit, ab eo quasi primus esse genitus fertur, ut Ignatius v. c. Simonem haereticorum principem non dubitavit Satanae compellare primogenitum filium (ad Trallian. cp. XI). Simili modo πρωτόγονος apud auctores classicos et de filiis natu maximis et de nobilibus summoque loco ortis hominibus occurrit. Nostrum quidem ubi de Christo in N. T. exstat, aut illi rei, in qua cernatur τὸ πρωτεύειν et Christi praestantia, est praepositum: πάσης κτίσεως Col. 1, 15, ἐκ τῶν νεκρῶν ibid. vs. 18, τῶν νεκρῶν Apoc. 1, 5, aut ad ipsum filii nomen refertur Rom. 8, 29 ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς praecedente υἱὸς αὐτοῦ, et Hebr. 1, 6, ubi respici ad υἱόν eumque summum principem ne angelis quidem inferiorem, quem ante res jam affuisse creatas, declarari manifestum est. Tantum esse principatum, quem prae mundo hominumque vita filius obtineat. Itaque ut an-

filii? Haud dubie utrique informationi peculiaris sua vis est: scriptor vero, qui ad Christum ejusque honores animum totum intendit, communi ambas cogitatione amplexus est, unde quid interesset parum cerneretur. De Christo filio pronunciari quaedam eodem modo vel prius etiam ad λόγον referenda quum infra intelliges, tum inde hic percipere mihi videor, quod mediae de λόγῳ disputationi baptismi testimonium, quod ad Jesum hominem pertinebat, interpositum est. Sentio enim in toto prooemii argumento generalem ideam adumbrandam cum singulari, ad quem auctor transiturus esset, nuncio insigni modo connecti. Vs. 7 is, cujus Johannes testis prodiit, quasi anticipando aliquid mente dicitur et nominatur τὸ φῶς, quod paullo ante de omnium hominum aeterno lumine legeras. Vs. 10 redit evangelista ad ideam universalem, pro qua vs. 3 Dei verbum mundi opificem praedicarat: ita vero ut in sequenti statim enunciatione visibilem ejus inter

---

tecedente μονογενής conjunctissimum esse cum Deo Christum docemur filium unicum, ita vox πρωτότοκος eo spectat, ut in toto mundo, quantopere λόγος emineat rebusque praestet reliquis a patre conditis, conspicuum fiat.

Ad duas classes attributa haecce a me enumerata revocaverim, priorem ethicorum, alteram eorum, quae ut μονογενής, πρωτότοκος et forsan ἴδιος ontologica recte dicas. Illa quidem non uni Christo esse propria videmus sed ab ipso ad pios ejus cultores transferri, haec vero ipsis verbis proditur aut nemini aut Christo soli esse tribuenda. Notet fortasse aliquis, non omnes inter se concordare singulas voces de uno eodemque prolatas. Quomodo enim idem nunc electus e multis nunc unigenitus jure compellabitur? Atque si solus hic a patre genitus est, quo pacto tum primogeniti nomen justum accepit? quod vix cogitari potest, si illud prognatum esse nonnisi in filium stricte convenit. Sed neminem magnopere haec discrepantia offendet, qui agnomen quodque singulari cogitationi accommodatum esse consideraverit.

homines adventum ante oculos habeat ab iis etiam, quos minime decuit, contemtum et profligatum. Vs. 12 et 13 Dei filii cogitationem quandam subesse verbis putaverim, quippe quo duce et auctore evenisse, ut alii quoque e Deo quasi nascerentur (τέκνα ϑεοῦ γενέσϑαι). Vs. 15 usque ad 18 certior jam sequitur Johannis baptistae declaratio cum ipsius Christi nomine adjuncta, per quem benevolentiae summae atque cognitionis hominibus adipiscendae bonum praeclarum longeque diversum a Mosaicae legis salutari instituto paratum et impetratum esse. Tam celeri cursu oratio a summo principio orsa ad res novas, quae inter homines acciderunt, procedit. Uti λόγος vs. 1 apud Deum, ita filius, accommodata huic nomini imagine, prope patrem (πρὸς τ. κόλπον τ. πατρός vs. 14) versatur et sedet: quemadmodum ille mundum illustravit sempiterno lumine, cui hominum semper hebetes animi offecere (vs. 4 et 5), hic adversantibus plerisque Judaeis patris a nemine antea conspecti divinitatem et consilia patefecit (ἐξηγήσατο vs. 18). Patet ex his, quantopere λόγου et filii notiones sibi respondeant, quibus quod subjectum est, ei substantiam communem eademque scriptor opera tribuit. Discrimen tamen aliquod puto in eo situm esse, quod quum λόγου sit philosophica potius atque latius sumta visio, filii nomen personam clarius indicat naturali vinculo cum numine junctam. Tum illud nolim silentio praetermitti, quod filium Johannes non ante vs. 14 diserte significavit et una cum eo τὸν λόγον γενόμενον σάρξ, ac deinde, quod in toto libro praefatione excepta a voce λόγου adhibenda diligenter abstinuit. Unde tametsi concludere dubitemus, fuisse Johanni filium nullum nisi λόγον ἐνσεσαρκωμένον, ut in nomine υἱὸς τ. ϑ. naturae humanae notio insuper addita sit, nec praeter eam omnino filius fuerit dicendus; illo tamen appellationis usu Johannem quoque assuetum reperi, ex quo homini praesertim Christo,

quem penitus expleverit λόγος, sit idoneum. Sed clarius velim hoc e sequentibus appareat.

Quodsi Johannes ut ad Dei f. Christum declarandum prodiret, hunc fere sententiarum nexum secutus est, a vulgari Judaeorum de Messia existimatione aliquanto abhorret. Quae illi de Davidianae gentis ventura prole sperabant, noster posthabito humanae vel Judaicae stirpis honore*) ex divinae naturae fonte ultimo deduxit. Illi unius nationis se principem et sacrorum restitutorem praestiturum omnibus et ad coelestem gloriam evectum iri confidebant: Johannis ut Christiani hominis animus ad id quod sursum est totus intentus de coelo divinae substantiae copiam repetiit, et humili nostrorum corporum amicuit indole, ut non Israëlitarum sed hominum subiisse fortunam Dei filium cognoscerent cunctis salutem et auxilium laturum.

§. 14.

Filius amore et intelligentiae vinculo cum patre conjunctus.

Quum ad posteros locos, quibus ipsum de se Christum disputantem habebimus, deinceps simus progressuri, verborum paullo ante laudatorum χάρις καὶ

*) Dubium sane est, quod Straussius monet I. p. 209, cum Matthaei et Lucae narrationibus de Jesu nato num ullo modo Johannis sententia conciliari possit, qui non hominem mirabili modo genitum, verum hypostasin divinam („*die Ansicht von einer in Jesu fleischgewordenen und ihm immanent gebliebenen göttlichen Hypostase*") humana specie indutam esse docuit. Quod illi nunciant de Jesu mirifico ortu, de eo Johanni quoque fuisse persuasum, contendere non ausim. Illud arbitror, non penitus adversari Johannis sententiam alteri, ut quod tradunt Matthaeus et Marcus credere non debuerit, nisi deposita sua cogitatione de λόγῳ in carnem delapso. Anne hoc ab aliquo statui omnino non potest, divinam hypostasin, quomodo illi referunt, cum humana indole esse conjunctam?

ἀλήθεια recordari juvat. Breviter enim indicant, quae in filio esse eique cum patre communia et quae per ipsum omnes homines adipisci saepenumero legimus, amorem mutuum gratiamque Dei et cognitionem. His rebus comprehensam esse patris et filii necessitudinem, creberrime in Jesu sermonibus Johanneis exponitur: paucorum ex reliquis evangeliis addendorum occasio erit.

Notissimum esse filio patrem supra ex praefatione cognovimus (vs. 18), neque aliam causam fuisse, cur ille ad homines, ne simili intelligentia carerent, mitteretur. Nemo inquit Joh. 6, 46 unquam patrem conspexit nisi ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ, qui ex patre se prodiisse sed nunquam disjunctum ab eo neque abalienatum esse scit (7, 29). Perspectum cognitumque neutrum habet quisquam nisi alter (Matth. 11, 27. Luc. 10, 22, quae verba sexcenties ab ecclesiae patribus citata Johanni facilius quam reliquis auctoribus tribueris), vel si quis filio duce ad intelligendum patrem admissus est. Sed non pro arbitratu suo quos erudiat eligit: nulli enim nisi a patre permoti et concitati ad Christi transeunt partes. Itaque hoc quasi circuitu manat atque perfertur scientia summa et lux, ut fontem a Deo capiat, cujus spiritu adjuti homines ad filium agnoscendum perveniant, per filium autem ducem et principem abunde mentibus donata ad eundem denique redeat patrem. Ut Deus filio ita hic discipulis sibi commissis veluti gregi suo notissimus est (Joh. 10, 15 γινώσκειν), quo praesente, quum et ipse pater omnibus sese colendum et intelligendum obtulerit, nemini dicit Christus aliam cernendi numinis rationem concedi (Joh. 14, 7—9). Sed etiamsi Dei cognitione Christianis omnibus largienda tantopere filius polleat, relinqui tamen dicitur unum, utut divinis mysteriis initiatus quod ignoret: quippe quo die futurum sit, ut immutatis rebus universis iterum ad homines

redeat (Matth. 24, 36. Marc. 13, 32). Frustra interpretes antiqui, ne hujus rei inscitiam concederent filio ὁμοουσίῳ male convenientem, tergiversati et ad discriminandam duplicem naturam redacti sunt. Nos ne cum Johannis quidem doctrina certare dictum credimus, quamvis apud eum discipuli Christum omnia scire confirment (ὅτι οἶδας πάντα 16, 30. 21, 17). Nititur enim communio Christi cum patre non tam in singularum rerum praesensu ac notitia, quam in numinis intelligentia integra et summi boni cognitione: immo filium esse inde iterum cernimus, quod oracula fundens non omnem patris aequet scientiam, et uti ab eo edoctus sit (8, 28), res futuras prospiciat.

Accedit alterum amoris vinculum, quo nulli possunt arctius quam parentes cum natis constringi. Non e vita gerenda oritur neque filiorum acquiritur meritis haec mutua animi affectio, quam primam ipsa natura insevit et ad caritatem maximam produxit. Haud dissimili modo Deus filium amat et ab eo redamatur (ἀγαπᾷ 3, 34. φιλεῖ 5, 20): utrumque amor ad summa opera exsequenda compellit. Amore permotus Deus praeclarissimam Christo inter homines potestatem (3, 35 ἀγαπᾷ καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ), spiritus dona haud mediocriter largitus est,*) quaeque ageret et sequeretur, cum eo communicavit (5, 20 καὶ

*) Possent quidem haec verba vs. 34 etiam de magno propheta aliquo accipi, quem Deus ad praecepta sua consiliaque tradenda misisset. Discrimen sane facit illud οὐκ ἐκ μέτρου, quod dici non debebat de prioribus Dei ministris: sed prophetarum fuit spiritu donari (δίδωσι τὸ πνεῦμα). Quare inaugurati hic filii recordamur, Christumque animadvertimus apud Johannem quoque praeter naturae divinitatem spiritu ad munus obeundum praeditum videri. Λόγος vero in Christo vigens quo unquam spiritus s. pignore eguit? Cui difficultati, siquidem hoc tempore oporteret, eo occurrerem, quod πνεῦμα ἅγιον ad gerendarum rerum impulsum referre et a λόγῳ discernere studerem.

πάντα δείκνυσιν αὐτῷ). Hanc Dei benevolentiam noli omnino voluntariam et quasi gratuitam ducere, qua haud secus pater abstinuisset. Mundum enim quam vehementer diligat, ex ejusdem erga illum voluntatis modulo metiri et expendere jubemur (1. Joh. 4, 9. nam epistolarum quoque locos pro argumenti similitudine laudare aequum est), quum vindicandae hominibus felicitatis causa ne filio quidem unico (τ. υἱὸν αὐτοῦ τ. μονογενῆ) perpercerit. Ingenue item Christus affirmat, ita dilectum esse mundum a Deo, ut pro recuperanda hominum salute unigenitum etiam devoveret (Joh. 3, 16). Jam quomodo singularis aliquis homo Christus apud Deum gratiosus toto cum genere conferri et quasi aequali numero haberi potuit? Quae plane inanis foret comparatio, nisi Dei erga filium voluntas necessitate maxima, ex qua μονογενής diceretur, esset contenta. Johannis quidem in altum pectus omnis haec consideratio descendit, cujus crebra in evangelio et epistola prima vestigia reperies.

Filii contra amor in obedientia cernitur,*) quae prohibet eum totum ex illius nutu et auctoritate pendentem, quo minus arbitrio suo (ἀφ' ἑαυτοῦ 5, 19) unquam ad agendum perducatur. In solum igitur patrem animum convertit, hunc intuetur semper, nihil sectatur nisi quod ab eo praescriptum et consignatum esse sentit (Joh. 5, 30 οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδέν, 6, 38. 7, 16. 12, 50). Mandavit Deus filio quae exigeret et doceret (12, 49. 14, 31), mandataque ipse per eum exsequitur (4, 34. 14, 10. 11). Nihil monerem amplius ad tritissima haec dicta, si non facile quispiam obedientiae laudes justo strictius ad humanae virtutis modum accommodatas esse putaret. Sed enim

*) cf. Morus: de Christo demandatum sibi duplex negotium exsequente cum virtute, et hactenus patri obediente (Dissertationes theol. et philol. p. 308 sqq.).

Christus quum adeo caveat ac deprecetur, ne quando arbitratum suum Dei jussis anteponat, nonne duplici ac diverso agendi studio videtur agitatus esse? Nam si quis animi affectione atque studio utitur ab omni parte cum paterno concordante, ut eodem tempore et sibi indulgeat et alterius pareat imperio, eum quidem, qualem Christum fuisse putamus, singulare quoddam suum cogitatum praedicasse noles. Verba modo laudata *ἀφ' ἑαυτοῦ* (Joh. 5, 30) adposita esse censet de Wettius: „*mit unklarer einseitiger Beziehung auf das Menschliche im menschgewordenen Logos.*" Est enim illud minus clarum et accuratum in verbis, quod ea Christus sibi tribuit ipse, quae rectius ad aliquam de se conscientiam vel cogitationem retulisset, nempe suo animo se ad agendum ferri posse. Attamen nostro loco quod innuere videntur verba laudata, cupiditatem in Christo latuisse a Dei consilio remotiorem, praecedentia tollunt *οὐ δύναται*. Ita noluit ut non posset, aut ita non potuit ut ne vellet quidem nisi Deo jubente agere et loqui. Etenim non ultro Christus inter homines apparuit (7, 28 *ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα*) sed missus a Deo (*ὁ πέμψας*), qui de filio rebusque ei gerendis testis maxime verax exstitit (5, 31. 32. 8, 19). At non sequitur hinc, non filium quoque vitam degere inter homines voluisse: neque igitur, ubi ex ipsius scientia et existimatione se velle quidquam tradere negavit (Joh. 12, 49 *ἐξ ἐμοῦ οὐκ ἐλάλησα*), aliena ab his animo tenuisse vel aegre deposuisse putandus est. Itaque talibus locis, quae pater et filius velit et cogitet, non distineri puto tanquam dissona, sed ut duabus personis tribuenda distingui, ut et alteri illum subjectum esse appareat, et insignis amoris lubentisque obsequii, nam ne mortem quidem invitus exspectavit, clarissimum coram hominibus edatur exemplum. Impedit etiam haec explicandi ratio, quominus Christum ad exsequenda patris

opera naturali prorsus et quasi caeco animi instinctu ductum esse suspicemur. Optionem ipsi ut homini datam esse conscientia docuit, ingenium autem animique indoles ad nihil praeter quod filium decebat propendit.

§ 15.

De intima utriusque communione.

Duplici ut vidimus nodo et vinculo, ad ingenium altero et intelligendi aciem, altero ad voluntatem pertinente adeo cum Deo filius Johanne teste conjunctus est, ut ille princeps sit et fons, hic acceperit donata, atque totum se ditioni ejus et imperio subjecerit. Tantae hujus consortionis, cujus moralem partem et intellectualem discernimus, latissime fines patent, et quodcunque in Christi mente vigebat complectuntur. Itaque restat ut addamus, quod brevissimis verbis de se Jesum professum esse scimus: *ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν* (10, 30 cf. 17, 22), quae verba arcte cum sequentibus cohaerent: *υἱὸς τ. θεοῦ εἰμι*. Poteratne majus aliquid et altius de se effari? Sed haec verba non in demonstrationis principio posita sed praecedenti sententiae confirmandae subjuncta sunt, qua Christus a se gesta omnia testatus „convocavi, inquit, oves meas bene mihi notas, aeternae vitae facio participes, quarum nulla tutelae eripietur, quum Deus omnium sit potentissimus“: ex quo intellexerunt interpretes, de potestate summa Christo cum patre communi disputari. Longe secus Judaei tunc sermonem accipiunt, quos Jesus, quum ex verbis extremis divinos honores eum sibi arrogasse (cf. 5, 18 *ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ θεῷ*) collegerint, ratiocinatione proxima refellit. E concessis enim ut dicunt argumentatus injustum sibi crimen fieri ostendit: quoniam enim reges illi a Deo castigati (Ps. 82, LXX: *θεοί ἐστε καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες*) Dei filii vocari potuerint, in ipsum quidem ut missum

a Deo et consecratum optimo jure honorem talem conferri. Aptene vero illorum regum exemplum in suam causam defendendam adhibuit? Num unum esse Deum et Christum eumque filium illius eo ipse conficitur, quod sit ἁγιασθείς a Deo et ἀπεσταλμένος? Haec quum sit propulsandi criminis ratio, de ὁμοουσίας dogmate inde petendo desperantes viri docti in eo, quod Christus sacrosanctus Dei legatus tota patris potentia praeditus dicatur, acquiescunt, praesertim quum ne formula quidem ἕν εἶναι, etiam de hominibus cum Deo conciliandis obvia (17, 21. 22. 23), admodum urgenda ac statim de naturae communitate quadam explicanda sit. Quamquam utrumque pariter vereor, ne alienum e verbis placitum promam, aut verborum pondus extenuem. Primum ad impii in Deum maledicti crimen a se repellendum pluribus locis et gravioribus Jesus uti poterat: de industria igitur ni fallor istum maxime elegit, quo in reges pro muneris altissimo gradu metaphorice nomen confertur, non ut aequalem cum iis dignitatem assereret sibi, verum ut tanto inter illos et semetipsum discrimine interposito eo fortius comprobaret, nequaquam ab ipso Dei filii honores obtinente numinis summi laesam esse majestatem. Itaque responsum Judaeis accommodavit criminantibus. Tum vero etsi verba ἕν ἐσμεν sententiarum nexui inserviant, et potissimum ad facultatem filii et auctoritatem singularem referantur, plus tamen exprimunt, quam sermonis illius occasio exigebat. Imo quodcunque Jesus acturus et dicturus erat, ut divinitus imperatum et administratum esse ostenderet, idem ei argumentum proferre ad fidem faciendam licebat: unum sumus ipse et pater, i. e. siquid me gerentem vel loquentem animadvertitis, tanti facitote, acsi ab ipso patre profectum esse videatis (5, 17). Quodsi igitur hoc dicere nunquam non poterat, et ita vitam degebat, ut viventi ipsi et muneribus fungenti semper Deum adesse sentiret,

qua in re tum praecipua et unde nata vertebatur patris et filii conjunctio? non in eadem illa opinor operum societate, ne eodem revolvatur unde orsa est demonstratio, sed in eo quod subest rebus gerendis, quod viget ac persistit in pectore imo, in sensu, qui animum reddit sui atque Dei conscium et ad maxima quaeque aut impetranda aut patienda propensum. Itaque ut sibi exsequenda officia Dei opera (τὰ ἔργα τοῦ πατρός 10, 32. 37) seu verba ejus declararet (τ. ῥήματα τ. θεοῦ 3, 34), ea enim se missum esse a patre testificari dicit 5, 36, animum divinis rebus per ipsum conficiendis prorsus consentaneum habuerit necesse est (10,38). — Deinde sententiae haud dissimilis verba habebis 14, 11: ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι (10, 38), et quae praecedunt: ὁ πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων (cf. 1 Joh. 4, 4. 2, 24): „ita me possidet pater et (ut dicam audacius) a me possidetur, ut cum ipso facinora praeclarissima perpetrem (5, 19), ut mihi debita fides illi quoque habeatur, unde beati homines ac Dei liberi fiant, — tantum enim efficit τὸ πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα τοῖ μονογενοῦς υἱοῦ (3, 18. 9, 35. 1 Joh. 4, 2. 5, 1. 5. 10. 13) —, ut mea simulque ejus gloria illucescat (11, 4. 14, 13. 16, 14. 17, 1. 5).“ Sequitur hinc, filium qui contempserit Deum etiam esse aspernatum (1 Joh. 2. 23), ergo omnes cum illo pie colendo alterum quoque debere adorare (Joh. 5, 23. 8, 19), quoniam non solus filius sit (8, 16. 28. 16, 32), sed auxiliante sibi et comitante patre utatur. Spirat quasi haec mens in extremis moribundi Christi precibus (cp. 17). Quotcunque bona Deus hominibus largiturus sit: λόγον (vs. 14), ἀλήθειαν (17), χαράν (13), δόξαν (22), ἀγάπην (23), ζωὴν αἰώνιον (3), ex ipsius animo operibus et doctrina redundare atque omnibus, ubi per fidem secum conciliati fuerint, Christus scit donatum iri, dum tandem arctissimo amoris vinculo colligati in unum coalescant

(vs. 23). Non multum refert, quod saepius in locis laudatis filii Dei agnomen non reperitur, dummodo ne subjectam ei sententiam desideremus. Nam omnino titulus esse honorificus desiit, quum gravissimas exhibeat sententias ac per omnem Johannis doctrinam pertinentes. Neminem enim evangelio et epistolis perlectis fugiet, quae Johannes de Dei consilio sancto, de hominibus liberandis culpa peccatorum, de amoris fideique societate, denique de vitae novae beatitudine et expetenda et consequenda tradiderit, diligenter ab eo ad patris ejusque liberorum maxime vero ad summi ac principis Dei filii notiones revocari.

Quum jam quibus in rebus cernatur patris et filii unitas breviter a nobis percursae sint, tandem de communionis primo fonte quaerentes eodem, unde orsi sumus, relabimur. Intellexisse enim mihi videor, non veluti singulis quibusdam ornamentis animique dotibus filium ornari, sed inde ab initio caput commune, unde illa arcessantur, monstrari. Vocis quidem τοῦ λόγου post evangelii prooemium nulla sedes est, intelligentiam vero, ni fallor, in ipsius Jesu sermonibus reperimus. Ab illa enim proxime abest, quod Christus priusquam terram introiret apud patrem, quem transacto humiliter degendi tempore rursum petiturus esset (16, 28), se exstisisse nec tantum Abrahami aetatem verum mundi etiam primordia suae vitae aeternitate superasse affirmat. Ante conditas res universas amoris divini atque splendoris fertur particeps fuisse, ut unde ad homines venisset, eodem cuperet reverti (6, 62. 8, 58. 17, 5. 24 cf. 1, 30). Obscurum quoddam seu paradoxum salva Christi auctoritate his dictis subesse puto, quorum non eam sententiam communem statuerim, quod Jesus idem inter homines adultus apud Deum semper vixerit, corpore tantum non circumdatus. Verum λόγος, ut dicam quod sentio, se ipsum quasi intellexit in Christo, et ita in ejus animo viguit, ut hominis

conscientia excederet hujus vitae fines, atque inde Jesus ex aeterna vi divina se haustum et ante conditum mundum a patre dilectum esse perciperet.*) Ne-

*) Profectum esse Christum a Deo variis formulis expressum deprehendimus. Primum legimus de eo: *ἀπὸ θεοῦ ἐξελθεῖν* (3, 2. 7, 28. 8, 42, 13, 3. 16, 30). Num forte ipsis his verbis proditur vixisse Christus, priusquam hunc mundum intraret? Minime vero: nam Nathanaël cum Jesu colloquens, quem non Messiam sed prophetam (*διδάσκαλος*) divinitus excitatum compellat, novisse se dicit 3, 2: *ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας*, ut discipuli alio loco perspicuitatem sermonis Christi atque confidentiam admirati a Deo eum profectum esse colligunt (16, 30 *πιστεύομεν ὅτι ἀπὸ θ. ἐξῆλθες*). Neque possunt propterea illi aeternam Christo vitam priorem tribuisse. Quid maxime valeat formula, Jesu verba clarissime demonstrant illi quod a Deo processerit tanquam contrarium opponentia: *ἀφ' ἑαυτοῦ ἐξελθεῖν* (7, 28): i. e. sua sponte in publicum progredi. Non differt igitur illud ab altero: *ἀπὸ θεοῦ πέμπεσθαι*, divina instructum auctoritate advenire. Nonnullis locis habetur *παρὰ θεοῦ ἐξελθεῖν* (16, 27, *παρὰ πατρός* vs. 28), sive *παρὰ θ. εἶναι*, quod 7, 29 proximis hisce explicatur: *κἀκεῖνός με ἀπέστειλεν*. Joh. 1, 6 baptista dicitur *ἄνθρωπος ἀπεσταλμ. παρὰ θ.* cf. Winer Gramm. des n. t. Sprachid. p. 349. 50 ed. IV. Deinde cum vocula *ἐκ* illud connecti, unde quid ortum esse, vel cui quis favere, adhaerere, obnoxius esse tradatur, Johanneae phrases notissimae ostendunt: *ἐκ τοῦ κόσμου, τῆς γῆς, τοῦ πονηροῦ* aliaeque. Ubi igitur Christus 8, 42 de se dicit: *ἐγὼ γὰρ ἐκ τ. θ. ἐξῆλθον καὶ ἥκω*, et missum eum esse a patre et ortum etiam ex illo, his verbis declarari, cum de Wettio arbitror: sequentibus enim *οὐδὲ – ἀπέστειλε* non probabile prorsus idem iterum pronunciari, praesertim quum non per *οὐ γὰρ* sed *οὐδὲ γὰρ* adjecta sint. Simili modo 13, 3 verba *ἀπὸ θεοῦ ἐξῆλθον*, propter ea quae habes iis opposita: *καὶ πρὸς τ. θ. ὑπάγει*, in hunc modum velim intelligi, ut Deus non tantum sit *ὁ πέμψας*, sed *ὁ πατήρ*, apud quem antea fuerit versatus. Eodem frequens spectat locutio: *πόθεν ἦλθον (ἔρχομαι) καὶ ποῦ ὑπάγω* (8, 14. 21 cf. 7, 33. 14, 12. 28), qua hunc reditum esse ad patrem docet, de quo in mundum olim transierit. Attamen formulam *ἐκ τ. θ. εἶναι*

scio an id quoque, quod Johannes uno verbo ἡ ζωη complectitur, ad rem explicandam faciat. In λόγῳ abundabat et quasi fulgebat, quae in animatum mundum proflueret vita (Joh. 1, 4). Hunc in finem se hominibus interesse Christus ait, ne pereat quicunque ipsi se servatori commiserit, verum aeternam vitam sortiatur, qua nihil vehementius optandum vel ardentius ad explenda omnia animi desideria a Deo exposcendum esse. Quam eandem igitur hominibus offerre non poterat, neque ut hoc pane de coelo delapso in omne tempus satiarentur persuadere, si non largissima ipse ejus copia fruebatur (6, 33. 35. 40. 48. 5, 40 al.). Quantum ergo est, quod contigisse sibi asseverat, ut vitae perennem fontem, qualis Deo esset, in se ipse sustineret, vitae

---

tantum de hominibus (de Christo 8, 23: ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω— οὐκ ἐκ τ. κόσμου τούτ.) per Deum illuminatis, de Christianis Dei liberis per filium redemtis vere illum in terra salvatorem exstitisse credentibus (1 Joh. 4, 1 sqq.) inveni, quos iterum quasi et superne natos esse (ἄνωθεν Joh. 3, 3) complures loci declarant (γεννᾶσθαι seu γεγεννῆσθαι ἐκ τ. θ. 1 Joh. 1, 29. 4, 7, et illud frequentissimum τέκνα θεοῦ εἶναι).

Denique praetermitti nolim, quod Christus Deum, a quo in mundum missus sit, nunc appellat τὸν πατέρα, nunc saepissime τὸν πέμψαντά με. Interdum quidem utrumque ita usurpavit, ut significationis nihil interesset (v. c. 5, 23. 6, 40. 8, 28. 19. 13, 44). Nec tamen dicendi usum plane promiscuum dixerim: solet enim ὁ πέμψας tum maxime deprehendi, ubi sermo est de summa auctoritate, quacum Christus ad homines venerit (4, 34. 6, 38. 39. 7, 18. 28. 9, 4. 13, 16. 20 al.). Patris autem nominandi occasio frequentissima datur, ubi filium simul se nuncupat et de utriusque necessitudine disserit. Conjunctum utrumque: ὁ πέμψας με πατὴρ habes 8, 16. 14, 24. Ut vero ὁ υἱός constanter Christum filium indicat, ita ὁ πατὴρ cum articulo de Deo, quem suum prae caeteris patrem habeat, raro de omnium hominum parente et creatore (1 Joh. 2, 16) occurit. Hoc ipsum Judaei crimini dant Christo, quod proprium suum patrem (5, 19 πατέρα ἴδιον) Deum dixerit.

inquam caeteris largiendae, qui Dei filii vocem essent audituri (5, 26)! Fallimurne igitur, si quae filii sunt apud Johannem, ex hoc capite arcessimus, hanc virtutum quasi complexionem unam habentes? ut illi nomen debeatur, in quo repletus vi atque luce divina (3, 19. 8, 12. 9, 5) animus vigeat, cujus opera idem hominibus cunctis aeternae vitae (1 Joh. 5, 11 ἡ ζωὴ ἐν τ. υἱῷ αὐτοῦ ἐστιν, vs. 12 ὁ ἔχων τ. υἱὸν ἔχει τ. ζωήν) fons apertus sit. Neque jam admodum miror, nisi perperam ita sententiam nominis circumscripsimus, quod Christus semper se exstitisse persuasum habet; an temporum angustiis quam diximus vitam includamus? — neque impedio, quominus naturae Christi tribuatur illa de se et patre suo scientia. Naturae enim sensus est, sine quo non constabit sui conscia mens. Johannem igitur testem et auctorem habebunt, qui Dei filii nomine quamquam non divinam solam Christi naturam, attamen Christum ipsum pro divinitate ingenii ornabunt, quod se ex numine profectum, missum a Deo et semper cum eo incredibili modo sociatum esse docuit.

§ 16.

Ad reliqua evangelia respicitur.

Ex Matthaei Marci et Lucae libris pauci loci suppetebant, quos ad quaestionem antecedentem afferrem: haud mirum profecto, quoniam a regni divini nuncio apud illos institutione omni proficiscente raro de fide in Christum Dei filium ejusque dignitate subtilius disseritur. Nec proinde omittendum, quod Matthaeus certe et Marcus in historica magis de Messia cogitatione illustranda acquievere. Itaque praeter locos passim supra laudatos pauci tantum, quos recte addamus, supersunt. Deum aliquoties ita Jesus patrem compellat (ὁ πατήρ sive ὁ πατήρ μου, Matth. 11, 25. 26. 7,

21. 28, 19 al., de Deo omnium patre saepissime ὁ πατὴρ ὑμῶν Matth. 5, 16. 6, 1—18), ut filii quae sit potestas et conditio animadvertamus. Pueri jam illud dictum admirabile novimus, quo debuisse se ait in patris maxime sacrario morari (Luc. 2, 49 cf. Joh. 2, 16). Rebus omnibus praepositus est summaque auctoritate munitus a patre (Matth. 15, 13. 18, 19. 35), qui homines aut repudiabit et damnabit, si Christum aspernati fuerint, aut praemiis afficiet, quotcunque agnoverint filium (Matth. 10, 32. 33 ὁ πατ. μου ὁ ἐν τ. οὐρανοῖς, vs. 40 ὁ ἀποστείλας). Patris qui voluntati paruerint, Christus fratres atque sorores suos esse existimat (Matth. 12, 50 cf. 7, 21), illi maxime propinquos, qui totum Dei consilium exsecutus sit. In parabola deinde ad Jesaiae exemplum ficta, quae de vinea narratur diligentissime culta, cujus fruges percepturus possessor incassum ministros suos ad vinitores misit, a prophetis prioribus discernitur filius extremus totius fundi haeres, quem statim internoscentes nefarii homines trucidant (Matth. 21, 33—41 parall.). Quantum igitur inter servos domini interest et filium, in tantum prae omnibus Dei legatis ultimi prophetae splendor atque dignitas praefulget (Matth. ἀπέστειλε τ. υἱὸν αὐτοῦ, Marc. ἵνα υἱὸν ἀγαπητόν κτλ.). Nonnihil praeterea valent, quae hominibus, ut Dei liberi fiant, imperari videmus. Pacis amatores Dei filios fore et vocatum iri (nam utrumque est h. l. in κληθήσονται) Jesus perhibet Matth. 5, 9, quum hi Deum pacificum imitati (2 Cor. 13, 11), qui ineant amoris atque fiduciae societatem, digni sint. Pari honore dignantur, qui ad patris exemplum in singulos quosque sine delectu beneficia conferentis hostes etiam atque inimicos foverint (Matth. 5, 45. Luc. 6, 35): neque ab his diversi sunt, qui Luc. 20, 36 angelis consimiles et Dei filii dicuntur a morte ad aeternae vitae felicitatem revocandi (oppositi illis οἱ υἱοὶ τ. αἰῶνος τούτου vs. 35). Jam

quibus illi virtutibus eminent, eas integras et ab omni parte perfectas in principem Dei filium regnique coelestis conditorem congerere jubemur. — Ultimo tandem loco laudare fas est Jesu ex hominum vita demigraturi verba longe celeberrima, quibus imperat discipulis, ut omnes homines sacris initient et triplici sacramento obligent Matth. 28, 19. Haud accuratius hoc loco, qui nominis significatus sit, quam aliis multis perspexi, ut de reliqua dicti difficultate taceam. Quod vero illo praesertim tempore se τὸν υἱόν secundum a patre constituit, id videtur egisse, ut hunc locum suum honoremque, quo omnes laudes comprehensae essent, pie omnibus et continuo observandum proponeret.

Differre quodammodo Johannem a tribus illis scriptoribus in definienda nominis significatione quis neget? quam longe ab iis abhorreat quaeritur. Communis est ab utraque parte patris et filii communio, ex qua sese invicem notissimos et dilectissimos habeant, communis virtutum summarum abundantia, qua vicerit filius cunctos Dei ministros, ac denique de auctoritatis et potentiae copia constat et ad miracula edenda et ad omne opus perficiendum per spiritum sanctum in Christum collata. Nonnulla tamen, quae illi in re describenda obscurius innuunt vel in medio relinquunt, luculenter apparent apud Johannem, quem exorsum ab ipsis doctrinae principiis in rerum invisibilium maxime contemplatione detentum reperimus. Haec vero differentia non illum locum singulum sed omnem spectat Johannis disciplinam, neque igitur, nisi quis caetera simul examinaverit, recte dissolvetur. Ac ne forte credas, Johannem animo suo aequo longius a synopticis abductum esse, noli quae illorum nunciis similiora exhibuit negligere. Mitto enim, quod filius a Deo saepissime non natus sed missus esse fertur et consecratus (10, 36), quod simul occurrunt nomina ὁ πατήρ

et ὁ πέμψας: sed quod benevolentia etiam Dei laudibus effertur, cui tantum Christus dignitatis gradum debeat, quod operum, quae filii sit exsequi, Messianorum mentio fit (5, 59. 40. 1 Joh. 3, 8), atque Christus e rebus gestis quoque et miraculorum speciminibus se esse illum intelligi vult (11, 4. 12, 23. 13, 1. 31. 17, 1); nonne haec aliaque ejusdem fere generis ei, quem tria evangelia Christum pronunciant, quam maxime sunt consentanea?

§ 17.

Παῖς θεοῦ.

A Johannis doctrina nulla mora ad Paulum apostolum transirem, si non apostolorum Acta respiciens aliquo negotio quamquam haud magno detinerer. Quater in Petri orationibus Christus vocatur non *υἱός* sed *παῖς θεοῦ*, qua de formula nescio rectius et subtilius agere, quam Nitzschius V. Cl. (Stud. u. Kritiken-vol. I, p. 331—37) disputavit. — In universum hoc non casu nec fortuito factum esse putem, quod filii epitheton, ubicunque in Christi nominibus exstat, eodem constanter vocabulo *υἱός* redditum habemus. Fuit enim haec vox reliquis ejusdem paene significatus vocabulis longe aptior, quia cum virilis sexus nota honorum et beneficiorum indicium fert, quibus filios veterum inprimis maximos natu plerumque affectos esse novimus. *Παῖς* de pueris et puellis nondum adultis neque liberis, sed parentium imperio contentis, seu de ipsis mancipiis saepissime legitur, *τέκνον* vero seu *τεκνίον* blandientis vel comiter alloquentis est, pariter utriusque sexus prolem complectens, uti parentes quos genuerunt parvulos dicere solent.

Vocabulum *παῖς*, de quo nunc fusius agendum, in versione Alex. respondet praecipue Hebraeo עֶבֶד, sive id de servis (Gen. 12, 16. 40, 20), de legatis

(2 Sam. 10, 2—4), de militibus (2 Sam. 2, 12), de supplicibus (Ps. 69, 18. Dan. 10, 17), sive in formula עֶבֶד יְהוָֹה de hominibus piis (Ps. 113, 1), de Dei ministro quodam familiari et dilecto, uti de Jesaia (Jes. 20, 3), de populo Israëlitico (Jes. 41, 8. 9. 42, 19. 43, 10. 49, 3), seu quem alium propheta illis locis significaturus erat, occurrit: quamquam idem verbum saepius vertunt LXX *δοῦλος τ. ϑ.*, v. c. sic de Davide adhibetur (Ps. 89, 4. 21), de Abrahamo (Ps. 105, 6), de Messia (Zach. 3, 8), et *οἰκέτης* de Mose (Deut. 34, 5), et *ὑποῦργος* (Jos. 1, 1), passim quoque *παιδίον* et *ϑεράπων*. Interdum *παῖς* seu *παιδάριον* legitur pro Hebraico נַעַר, v. c. Gen. 37, 2. 2 Reg. 5, 20. 8, 4. 19, 6. 1 Reg. 20, 19 (Exod. 33, 11 *ὁ ἑαυτοῦ* scil. *ϑεοῦ φίλος*). In libris Apocryphis *παῖς ϑεοῦ* de prophetis adhibetur (Bar. 2, 20). Coaluisse in his vocibus hominis pie Deum colentis et ministri divini dilectissimi notiones, Gesenius notat ad vocabulum עֶבֶד, quum Deus justissimum quemque ac piissimum voluntatis suae praeconem constituerit. Neque ab hac sententia longe discedit, quod prae caeteris hic familiaris Deo minister appellatur. Etiam Hebraeorum בֵּן interdum LXX interpretantur vocabulis *παιδίον*, *τέκνον*, *παιδάριον* et *παῖς* (Prov. 4, 1), minus accurate idem cum illo declarantibus. In Novo T. *παῖς* seu *παῖδες* de famulis et ministris dicitur (Matth. 14, 2), et addito *κυρίου* de hominibus sincere Deum venerantibus (Luc. 1, 54 de Israëlitis), vel de egregio quodam auctoritatis divinae teste et vindice, ut de Davide Act. 4, 25.

Tam varia in dicendi consuetudine quam vim habeat vocab. *παῖς*, ex singulorum locorum sensu interpres dijudicabit. Quum igitur in Petri oratione Christus, quem dicit *ϑεοῦ παῖδα* seu *ἅγιον παῖδα*, aut filius aut minister vel servus Dei declarari potuerit, multi viri docti Erasmus, Grotius, Kuinoelius, Schottus,

Schleusnerus aliique alterum praetulerunt, tum quia vix dici potuisse servus Christus, atque constans praevalere videbatur nominis filii usus, cui pauci illi loci facile accommodandi essent, tum quia praecipue ad locum Act. 4, 27 melius quidem filii appellatio quadraret. Dicunt sane aliquid qui ita judicant, neque velim a filii laude illius cognominis prorsus sententiam removeri: attamen Nitzschio, de Wettio, Meiero in eo assentior, quod cum Versione Vulgata de ministro locos interpretari maluerunt. Primum enim, si totius sermonis Petrini nexum atque indolem respicis, omnem paene disputationem in Dei, non in Christi operibus enarrandis versantem deprehendes. „Ipse, inquit, proavorum Deus tribuit Jesu dignitatem et amplificavit, quem vos repudiastis et turpiter necastis (3, 13), e mortuis eum resuscitavit (vs. 15), passurum esse praedixit (vss. 17. 18), misit Christum vobis destinatum (τ. προκεχειρισμένον Ἰησ. Χρ. vs. 20), prophetarum de ipso oracula dispensavit." Non secus in altera oratione Petrus Deum coelorum et terrae creatorem per Davidem de Christo locutum invocat, atque ut servos suos in probanda fide in Christum juvet ac defendat, precatur. Quodsi hoc modo a Deo omnia provisa esse et administrari traduntur, in tali disputandi genere Jesum eo nomine affici aequum fuit, quo et ipse tanquam Dei minister egisse et fecisse imperata diceretur. Deinde ubique paene in libris Apocryphis et in N. T. formula παῖς θεοῦ non de filiis dicta sed ministris Dei occurrit, quam hic, nisi obstet certa ratio, eodem modo interpretari fas est. Versui 27 (cp. 4) praecedunt secundi Psalmi verba citata, cujus carminis vs. 7 ipsas filii laudes declarari scimus a Paulo ad Christi personam relatas. Dei filium summo jure Christum pronunciari, non poterat Petrus, seu qui literis haecce mandavit, vel ignorare vel diffiteri: quidni igitur hoc nomine usus est, quo Jesum tanquam pro-

phetis et regibus celsiorem a Davide, quem modo vocaverat *παῖδα*, disertis verbis discerneret? Nosse enim scriptorem vocum discrimina inde videmus, quod apostoli paullo infra vs. 29 non iterum *παῖδες* sed *δοῦλοι* nuncupantur, quae vox, quum ab illustranda filii fortuna abhorreat, nunquam de Christo usurpata est. Ad hoc quod respondeam nihil habeo, nisi quod placuit vel oratori vel scriptori ita ut diximus sermonem instituenti, Jesum et emortuum et in lucem reducem Deo auctore sanctissimum ejus et ab ipso inauguratum (*τ. ἅγιον παῖδά σου — ὃν ἔχρισας*) ministrum proponere. Neque vituperandus est propterea scriptor vel de minoris aestimata domini amplitudine accusandus, etiamsi Johannem quidem ita dicturum fuisse vix putem, praesertim quum ad Veteris T. typum, quem dicunt theologi, appellatio ficta sit. Nam quod Nitzschius data hac occasione adnotat, omnia quae de Dei colendi, prosequendi, imitandi summo quodam exemplo in V. T. explicata sint, Christo praesente comprobari et fieri vera, id in nostra quoque quaestione cognovimus. Quare eo, quod Matthaeus (12, 18) verba e servi Jehovae descriptione apud Jesaiam desumta (*ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα ὁ ἀγαπητός μου*) haud inepte, si ab interpretatione historica discesseris, ad Christum retulit principem Dei ministrum (Jes. 41, 8. 43, 10 *ὁ παῖς μου ὃν ἐξελεξάμην*, 45, 4), nostra quoque Petro accepta nuncupandi ratio excusatur. Etiam filio servum quod deceret aliquid convenit, ut mortem usque libenter domino obtemperaret: quamquam Christus Joh. 8, 35 a servo (*δοῦλος*) non perpetuo in domo remansuro magnopere se differre, ut filium liberum et sempiterni regni participem, profitetur. Duo nomina *παῖς θεοῦ* et *κύριος* quum sibi opponi velis, Christum duplicem locum spectabis obtinentem, ut dominum nostrum illum colere jubeamur, Deus quem sibi fidelissimum maximeque familiarem ministrum assumserit. Tametsi

vero nomen ministri divini sedem aliquam habeat, sanxisse scriptores sacros non hoc sed filii attributum longe nobilius totique Christi dignitati conveniens, et constanter adhibuisse, nemo non probabit.

In epistolis Petro adscriptis neque παῖς neque υἱὸς τ. θ. excepto loco 2 Pet. 1, 17, unquam Jesus vocatur, sed occurrunt nonnisi nomina κύριος et σωτήρ. Apostolorum Acta quod attinet, ter nomen nostrum positum reperimus, ita vero ut nihil novi inde colligi possit: Act. 8, 37, ubi homo quidam gente Aethiops a Philippo sacris Christianis initiatus, ut ad baptismum subeundum admittatur, Dei filium se Jesum agnoscere affirmat (sed genuinum locum haberi optimorum codicum auctoritas vetat), et 9, 20, ubi Saulus inde ab illo tempore, quo totus ejus animus mutatus est, hos ipsos esse Christi honores persuasum habuisse fertur (cf. 13, 33). Verborum: ἐκήρυξε τ. Ἰησοῦν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱ. τ. θ. eadem fere sententia est, quam habes in proxime sequentibus vs. 22: βιβάζων, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χρ. Utroque loco, quum definiendi causa nihil additum sit, omnino Messiam et servatorem declarari cernimus.

§. 18.

Paulus de Dei filio quid docuerit inquiritur.

Quae Paulus de lege Christiana tradidit et literis mandavit, videntur tum ex memoria quadam de Jesu ejusque opere salutari hausta esse, tum ab eo, quem divinitus sibi apertum esse dicit, cognitionis fonte repetuntur, tum denique ex ingenii singulari indole animique cultu manarunt. Ubi primum proferendorum ecclesiae finium sacerrimum munus capessivit, nihil magis cordi ei fuit, quam ut praeter Judaeos ethnici quoque perlato laeto nuncio, qua via divinam illam summamque justitiam appeterent, docerentur.

Quo in negotio quum hoc genus institutionum quaerendum esset, quod hominibus ad Judaeorum sacra nondum perductis conduceret, ne Paulus quidem ita Hebraeorum religionem neglexit, ut doctrinam quandam ab hoc fundamento sepositam et in se ipsa quodammodo nisam adumbraret. Edisserit non tantum quae per Christum condita et praescripta sunt, sed ad antiqua etiam, quae fulciant res novas, veluti ad templi integri et perfecti substructiones animum advertit. Neque in epistolis, constitutis jam Christianorum ad quas scripsit civitatibus, plane rudes et imperitos religionis elementis imbueret oportebat, verum amplius perdoceret, haesitantes firmaret animos, obscura dubiaque dirimeret, certa in memoriam revocaret. Hinc factum esse opinor, ut de nostro quoque loco minus clare et subtiliter apostolum disserentem inveniamus, quam prima quidem erudiendorum hominum ratio postulabat, et Judaeorum scientiae iisque, quae e Vetere T. nota essent, accommodate.

Silentio praeterimus eos locos, quibus ut pondus sermoni adderetur, honorificentissimum nomen positum et cum Ἰησοῦς seu Ἰησ. Χρ. connexum est, v. c. 1 Cor. 1, 9. 2 Cor. 1, 19. Gal. 2, 20. Hebr. 4, 14. 10, 29, quia nihil paene faciunt ad rem explicandam. Reliquis vero primum aliquem disputandi usum frequentem animadverti, ex quo in eadem enunciatione aut ὁ ϑεός et ὁ υἱὸς αὐτοῦ nominantur, ut appareat, de Deo ejusque institutis non esse dicendum omisso illo per quem omnia fecerit, aut hominum ipsorum tanquam Dei liberorum, quorum haec salutem et beatitudinem spectent, simulque filii Christi mentio fit. Posterius finem et effectum divini consilii attinet, per prius, quomodo patris filiique opera res evenerint, significatur. Quoniam enim omnes homines gravissimae culpae obnoxii a pietate erga Deum procul aberraverunt, et neque Judaeis summae legis beneficium, ne-

que naturalis sua ethnicis religio et numinis scientia quaedam tanto emolumento fuit, ut justi ab omni parte probique fierent, vel certe Dei benevolentiam mererent, omnia solus pater omnipotens absolvit, filium advenire, restituere perdita, pro lapsis emori jussit, cui illi tota mente deditì, amore inter se mutuo juncti, ad spem denique laetissimam erecti spiritalem prorsus vitam in regno coelesti inchoarent. Maximam Deus in efficienda haec curam impendens ne filii quidem (Rom. 8, 29 τοῦ ἰδίου υἱοῦ proprii atque unici) vitae saluti omnium devovendae pepercit. Ejusdem, cujus filius mortem obiit, quamvis adversati antea Deo in gratiam tandem reconciliantur. Misit Deus filium (Rom. 8, 3 ὁ ϑ. τ. ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας), seu delegavit (Gal. 4, 4 ἐξαπέστειλεν), tum vero spiritum etiam filii (τὸ πνεῦμα τ. υἱοῦ non diversum a patris spiritu cf. Rom. 8, 9) impertiit hominum animis, cum utroque qui societatem intimam inirent. Itaque huic Deo patri Paulus serviebat, quum filii traderet et divulgaret evangelium (Rom. 1, 9). Quas sententias eo fortius atque concinnius expressas esse arbitror, quum hoc Christi nomen exhibeant, ex quo exhausta esse ab eo patris mandata clarius intelligimus. Neque minus luculente in eo apostolus versatur, ut per unum filium multos fieri Dei liberos simili inter se et cum patre necessitudine sociatos demonstret, et quam plurima, quae sunt in nomine υἱός, ad homines etiam per Christum redemtos a calamitate transferat. Quicunque terrestrium rerum non amplius voluptate capti (Rom. 8, 5) instinctu divino et robore agitantur, Christi opera redditi sunt Dei filii (vss. 9. 14). Habere se Deum patrem (vs. 16 τέκνα τ. ϑ. ut antea υἱοί) cognoscunt teste spiritu, ut qua facultate donati fuerint, eadem conscii fiant muneris accepti, et quum vitae beatae primitias degustarint, tota perfrui et a corporis compedibus liberari exoptent. Sed quibus e rebus constat

haec quam sortiantur filiorum fortuna? primum quod Christi paternae majestatis haeredis, quocum communes antea dolores et contumelias tulerint, gloria tandem et splendor ad ipsos transeat (8, 17. Eph. 1,14. 3, 6. 1 Cor. 9, 23), tum quod humilitati ac moerori, quo res universae et animatae et inanimatae etiamdum confici videantur, se ereptos et ad altum honoris et libertatis gradum provectos esse sentiant (Rom. 8, 18 sqq), inde quod cum Dei pio amore beatae etiam vitae alentes spem dulcissimam, illum confidant, quem ne ineffabile quidem animi desiderium lateat, ipsos ad se convocaturum, justos atque decore insignes facturum esse (vss. 24—30). Haec non servorum anxietas est, qui non audent precibus dominum fatigare, sed liberorum fiducia fretorum patris optimi clementia. Jam igitur non solum nomen habent Dei filiorum, verum recepto illo spiritu (πνεῦμα υἱοθεσίας vs. 15 Gal. 4, 5. 6) ad referendam Christi filii imaginem idonei fiunt, ut is inter multos fratres consortes primus ac nobilissimus existat. Quomodo homines a legis servitio exemti libertatem recuperent, et illam mentem et virtutem, quae Dei liberos deceat, adipiscantur, praeclare demonstrat Paulus in ep. ad Gal. 3, 26. 4, 5—7 cf. Neander Apost. Zeitalter p. II. p. 587 edit I. Sed quorsum haec, quae dixeris a proposito satis aliena? ut ne in tota descriptione salutis et beneficiorum in homines per Christum collatorum, quantum nostri nominis usus valuerit, praetermittamus. Quam vero filio ipsi Paulus naturam et copiam tribuerit quaerentes, ut et Deo et nobis consimilis finitimos cunctos et propinquos patri redderet et foedus conciliaret, alios locos adituri sumus.

§. 19.

De eadem re.

In exordio epistolae ad Romanos datae Christi personae discrimen aliquod scriptor adhibet, quale

servari nescio an cujusvis hominis alius natura atque sors externa quodammodo permittat. Alius esse traditur Christus κατὰ σάρκα (1, 3 et 4), quae vox cum corpore totam vitae conditionem externam complectitur, alius κατὰ πνεῦμα ἁγιοσύνης. Illud quidem Davidis progeniem indicat, hoc Dei filii honorem spectat divinitus Christo assertum. Quamquam enim prius jam γενέσθαι ἐκ σπέρματος Δαβίδ cum praecedentibus cohaereat περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ (vs. 3), ut Dei f. id quoque fuerit, e Davidis gente nasci, tamen iterum posito nomine vs. 4 sequentibus demum verbis potiores illius laudes contineri videmus. At quid significant τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θ. κ. τ. λ? Quominus destinandi vulgarem significatum in voce ὁρίζειν retinerent, impedivit plerosque interpretes, quod non destinata aliqua in Christum conferenda dignitas sed propria ipsi et innata potuerit a Paulo praedicari. Neque verba ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν cum prioribus copulanda ad istam verbi ὁρίζειν significationem quadrant: potuitne enim eo quod, seu inde quum e mortuis resuscitaretur, tantus Christo honos decerni, quum hujus rei consilium eventui illi necessario praecesserit? Si vero, quod plerisque placuit, declarandi notio praefertur, ea fere loci interpretatio probabilis est: „evangelium de eo, quem Dei filium esse declaravit et revocans eum ad vitam (id enim Paulo maximum fuit divinae de Christo auctoritatis specimen) potenter confirmavit, quod attinet nempe ad spiritalem vim et indolem sanctissimam.“ De notione nominis, quam apostolus in mente habuerit, recte definienda dissensio est inter viros doctos. Verba τοῦ γεν. ἐκ σπέρμ. Δ. relata ad περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτ. (vs. 3) fuerunt qui de mirifico Jesu ortu ex Maria acciperent: temere quidem, ut mihi videtur, etiamsi Rueckertus ipse haereat in ea re (Comm. p. 14. 15 ed. II.) et Reichius praeter nostrum locum sic explicuerit Rom. 9, 5 et 1 Tim. 3, 15; certis enim rati-

onibus et indiciis haec explicatio destituta est. Sed omissa etiam physica hujusmodi definitione Rueckertus ut hoc loco ita ubique fere Christum in Pauli scriptis propter sublimem in ipso et prorsus divinam animi substantiam Dei filium dici contendit. Koellnero contra potestas Christi omniaque congesta in illum ut Messiam ornamenta consignari nomine videntur, cujus metaphysicam quandam notionem in epistolis ad Ephesios et Colossenses interdum conspicuam non debere in nostri libri dicta pariter transferri. Fritzschius cum Rueckerto fere sentiens verbis ὁ υἱὸς τ. ϑ. „numen augustum, cui cum Deo arctissima conjunctio intercedat,“ significari censet. Mutasse Paulum sententiam posteaque secus atque in libris prioribus de Christo disputasse, num ostendi possit dubito. Sed nostro loco hoc certe quisque dabit, quod magni momenti est, in Christi persona duas partes a Paulo distineri, quarum altera cum hominum vita ac mundo visibili cohaereat, altera a Deo ejusque spiritu sit profecta. Eam sive vim divinam in Christo efficacem sive naturam seu substantiam vocamus, quid enim rectius sit non dignoscitur illis verbis, omnino divinum aliquid habebis Christo proprium et humanae ejus conditioni ac fortunae oppositum. Quod igitur in quovis homine ingenii est, ut distat a corporis rerumque terrestrium angustiis, simili modo superior Christi pars, si venia est ita loquendi, in altum unde orta erat eminuit et numen attigit: cujus divinitatis tanta inter homines documenta edita sunt, ut Jesum Dei esse filium inde novissent.

Non differt quod Rom. 8, 3 discrimen animadvertimus, ubi proprius Dei f. (τὸν ἑαυτοῦ υἱόν) missus et carnis peccatis mortique obnoxii similitudine traditur indutus esse, ut pravam, quae in artus humanos irrepsisset, spiritali sua vi integerrima dilueret materiem. Adsumsit et quasi mutuatus est ab hac terra

ὁμοίωμα σαρκός (Phil. 2, 7 *ὁμοίωμα ἀνθρώπων*), quibus verbis paene docetici aliquid inesse censet de Wette, dum alterum, quod homines ab ipso reciperent, suum maxime fuit et trans fines hujus vitae a Deo exortum. Conf. etiam 2 Cor. 5, 16 sqq., ubi homo Jesus a Judaeis cognitus et conspectus ab eo, qui homines cum Deo placavit et reconciliavit, sejungitur. Gal. 4, 4 duo haec diversa de filio (*τὸν υἱ. αὐτοῦ*) dicta reperimus, missum esse a patre et natum eum e muliere legique Mosaicae subjectum, quae ita Calvinus aliique veteres sibi opposuere, ut illud de aeterna filii divinitate hoc de partu virginali explicarent. Posterius quidem largiri jure dubitamus: alterum vero hoc recte intellexere, numen aliquod augustum statui, quod non simul cum homine nato existere coepisset, et huic tribui naturae, quod Christus Dei filius diceretur.*)

*) In universum recte dicunt theologi, ut Schleierm. (Glaubensl. II, p. 49 edit II): *auch den Ausdruck Sohn Gottes braucht die neutestamentliche Schrift, wo sie unabhängig redet, nur von dem Subject dieser Vereinigung* (*beider Naturen*), *und nicht von dem Göttlichen darin vor derselben.* Idem: Ueber Col. 1, 15—20 (Saemmtl. W. II, p. 331) „*Und ebenso giebt es keine neutest. Stelle, wo dieser Ausdruck nur dies oder jenes bedeutete, sondern immer den ganzen ungetheilten Christus.* Baumg. Crusius, bibl. Theol. p. 303: *Nirgends bedeutet in der apostolischen Sprache dieser Name die höhere Natur Christi, immer den menschlich erschienenen Christus.* Fromann, Lehrbegriff des Joannes p. 417: *der Ausdruck ist nicht Bezeichnung der göttlichen Natur, sondern des ganzen Fleisch gewordenen Logos in ungetheilter Einheit der göttlichen und menschlichen Natur betrachtet.* Loco supra laudato Gal. 4, 4 Dei filius dici non posset *γενόμενος ἐκ γυναικός* et *γενόμενος ὑπὸ νόμον*, si naturam divinam nomen significaret. Attamen quid efficit Dei filium? non quod homo natus et legi Mosaicae subjectus fuit, sed quod a Deo, ut inter homines appareret, profectus est. Quare illis locis non de sola natura Christi altera, verum ita de Christo disputari putem, ut indolis praeclarissimae et e Deo haustae et coram hominibus spectatae praecipua ratio habeatur.

Viden quam rursus ad sententiam perducti simus? ad illam haud dubie, cui simillimum supra apud Johannem theologumenon deprehenderas. Vocabulum quidem λόγου, non idea in Pauli epistolis desideratur. Nam et ipse apostolus, quod ne nos quidem hodie negligere debemus, eam rationem animadvertit inter humani generis egregiam sortem et hujus mundi res universas intercedentem, ex qua illam quae renovasset penitusque immutasset potentia, his etiam condendis et gubernandis haud defuisse diceretur, neque, quod in Jesu servatore hominibus ante oculos positum esset numen augustum, posset a totius mundi imperio excludi. Caeterum qua ratione Paulus Judaeorum logologiam novisse et suae accommodasse doctrinae videatur, et breviter et egregie, quantum equidem judico, exposuit Daehnius in libro: Paulinischer Lehrbegriff p. 115 sqq. In clarissimis hujus rei probantibus dictis non ubique Dei filii nomen suppetit, nec tamen ab hac quaestione illa putavi aliena esse.

Col. 1, 14—17, de quibus versibus Schleiermacherum acutissime scripsisse neque vero multis, verum esse quod sentiret, persuasisse scimus (cf. Boehmeri V. Cl. Comment. in h. l.), verba praecedentia: *εἰς τ. βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ κ. τ. λ.* summas filii laudes celebrans descriptio magnifica sequitur, ejus „quem inadspecti Dei imaginem et universarum quae adsint rerum primogenitum esse legimus, quoniam in eo i. e. per ipsum et secundum seu propter ipsum omnia sint condita et constiterint (cf. Winer Gramm. p. 371. 95), ut idem jam ecclesiae caput primusque sit e mortuis redux, in omnibus quippe rebus prior ac praestantior futurus.“ *Εἰκὼν τοῦ θεοῦ* dubito an et de aeterna Dei effigie et de visione ejus terrestri i. e. de Christo homine recte interpreter, qui certo tempore inter homines tota agendi et docendi similitudine invisibilis patris (*τοῦ ἀοράτου*) naturam

attigerit: nam quominus de Jesu tantum salvatore accipiamus, quemadmodum 2 Cor. 4, 4 Dei imago dicitur Christus, postquam paullo ante scriptor, ut ad eandem similitudinem se conformare studerent (ibid. 3, 18 *τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα* cf. Rom. 8, 29 *σύμμορφοι τ. εἰκόνος τ. υἱοῦ αὐτοῦ*) lectores quoque admonuit, sequens ni fallor enunciatio obstat. Verbis enim *πρωτότ. πάσης κτίσεως*, quae non debent cum Schleierm. ad *εἰκών* referri, ut illa vocetur princeps Dei imago in toto quasi mundo spiritali, ad quam et pro qua omnis divini regni pars atque species ficta et constituta sit (Ueb. Col. 1, 15—20 p. 345), — *λόγον* concedes seu internam in filio substantiam universis rebus, quae per ipsam conditae sint, priorem ac nobiliorem dici fuisse. Denique vs. 18, quum a rebus superis ad terrestres oratio descendat, imperium coetus Christiani in eundem confertur, qui ecclesiae caput et princeps (*ἀρχή*, nisi rectius hoc Schleierm. cum *ἐκ τ. νεκρῶν* conjunxit) e morte ad beatam vitam primus prodiit. Itaque eadem cogitatione scriptor et Messiam ad homines instituendos et redimendos missum, et aeternum, qui viguit in illo, *λόγον* cunctarum rerum conditorem comprehendit. Quum versus antecedentes 12—14 moralem salutem a Christo hominibus latam explicent, proximi metaphysicam sententiam ferant, tum vero vss. 18. 19 ad ecclesiam ejusque principem revertatur disputatio, vides hominum fortunam in hoc sermone, mediatore quasi proposito Dei filio, ad res primordia mundi spectantes revocari. Neve illud omittas, quod sententiae diversae per pronomina *ὅς* (vs. 15) — *καὶ αὐτός* — *ὅς* (18) simpliciter ad eundem *τὸν υἱὸν τῆς ἀγάπης* referuntur, quamquam priore loco quod legitur numinis praesertim divini est, posterius de homine morti occumbente ac redivivo valet. Ex quo patet, neque humanae indolis solius nec divinae tantum essentiae, quamvis longe clarius ea emineat,

nomini nostro significationem subesse.*) Sententiam haud dissimilem habebis Eph. 1, 10: ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τ. Χρ. (ubi significantius dixisset ἐν τ. υἱῷ τ. ϑ.), in unum omnia comprehendi (τὰ πάντα sive de animis ratione praeditis, seu de toto mundo restaurando), in unam societatem redigi, vel ad unam hoc duce dirigi normam, quae discissa antea et conturbata fuerint. Hoc mundi invisibilis principe nihil altius exstitit praeter patrem: neque miramur, quod epistolae ad Hebraeos auctor effatur, non tantum prophetis omnibus filium antecellere novissimum divinae voluntatis interpretem, supremum dominum et vindicem peccatorum, verum angelos etiam sua dignitate vincere, quum ad majestatis solium evectus cuncta robore sustentet, patris imaginem referat gloria nitentis naturamque exprimat. Partim quidem hae laudes salutari Christi inter homines mansione et opere continentur, partim extra hujus vitae fines positae sunt, omnes autem quibus unum filium (ἐν υἱῷ ὅν κ. τ. λ. Hebr. 1, 2) exornet. In eo enim virtutem metaphysicam conspicit cum insigni humano fastigio conjunctam.**)

*) cf. Scheierm. l. c. p. 551, qui acceptum fuisse Paulo placitum Johannis de λόγῳ negans per totum locum Christum ecclesiae exemplar et quasi prototypon declarari opinatus est.

**) In epistola ad Hebraeos eam praesertim nominis notionem oblatam inveni, ex qua Dei filius decore suo priores omnes Dei ministros longissime vicit, et haereditatem summi regiminis adiit, tum vero patris, a quo accepit honorem, dictioni subjectus est. Ex primo jam capite clarissime utrumque intelligitur. Filium enim mandatorum suorum novissimum nuncium rerum omnium haeredem Deus constituit (ἔϑηκε κληρόνομον πάντων vs. 2): neque hic honos ab illo dicitur abhorrere, per quem creata sint universa. Idem angelis tantopere praestat, quanto ipsi quam illis excellentior appellatio (διαφορώτερον ὄνομα vs. 4) contigit, ubi adnotandum est, quod item ἀπόστολος Christus semel nominatur 3, 1. Quem extulisse patrem in eminens majestatis solium deinde scriptor

Denique locum Phil. 2, 6—10 valde memorabilem ut laudarem et explicare studerem, suaserunt mihi verba ἐν μορφῇ ϑ. ὑπάρχων et εἶναι ἶσα ϑεῷ, ab eo, de quo nos quaerimus, haud aliena. Formam quidem Deus nullam habebit, nisi virium omnium, quae sunt illi maxime propriae, communem quandam circumscriptionem, cujus numinis expressam si quis imaginem retulerit, is gaudere Dei specie dicetur. Unde vero

Veteris T. dictis probat, quorum nonnulla ab ejus sententia remotiora dixeris. Neque enim illa Dei pollicitatio: patrem me illi praestabo etc. (vs. 5), quasi vero hujus paternae caritatis optio aliqua data fuerit, neque quod deinde affertur, propter justitiam et iniquitatis odium sempiterni regni praemio filium decorari, bene convenit in Dei effigiem, quam ab initio auctor celebravit. Tum 3, 5. 6 custodis domestici munus, quod fideliter Moses obierit, cum altiore Christi dignitate ecclesiam sacram veluti domum suam, in qua ut filius regnaret (ὡς υἱὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ), ingressi comparatur. Melchisedecum scriptor, cujus neque parentum neque mortis in scriptura mentio facta est, ideo Dei filio sacerdoti perpetuo (ἀφωμοιωμένος δὲ τ. υἱῷ τ. ϑ.) consimilem dicit 7, 3. Sed quantumcunque in honorem adductus est, tantum Deus ei attribuit (5, 5): a quo jussus mundum intravit (1, 6), angustam hominum fortunam et pericula toleravit, ut tanquam pro fratribus suis Deique liberis sanctis (οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνός) intercederet (2, 10—18). Uno loco Deus Christi pater vocatur ὁ ποιήσας αὐτόν. Non naturam divinam solam appellatione nostra ornari, quisque videt e locis 6, 6, ubi auctor pro ἀνασταυροῦν τὸν υἱὸν τ. ϑ. eodem sensu dixisset τὸν Χριστόν, et 10, 29 ὁ τὸν — καταπατήσας, in quibus dictis gravior est cum electo hoc titulo perversitatis tantae accusatio. Quum hoc fere modo ab epistolae auctore filii Dei notio explicata et adhibita sit, a Paulo quidem etsi non longe discedit, in eo certe differunt, quod alter pro singulari sua novi foederis existimatione diligentius in illo honore describendo versatur, quocum filius advenerit missus a Deo atque tum sacris novis praepositus tum patris imperio subditus sit, Paulus vero filii laudes magis ad id, quod est in nominibus κύριος et σωτήρ, referre solet.

orta sit haec praeclara similitudo, Dei filii nomine, quo hic apostolus adhibendo abstinuit, proditur. Mirum facile fuerit subtili interpreti, quod verba ὅς ἐν μ. θεοῦ κ. τ. λ. simplici modo ad Χριστὸς Ἰησοῦς adnexa sunt, cui tanquam Jesu hominis titulo non tam divinae indolis splendor quam humilitas humanae conditionis responderet. Fuit haec (cf. vs. 10) dogmaticis antiquis idiomatum communicatio, idem quod hodie paullo liberiori, quaeque abhorret a restricto dogmaticorum sermone, loquendi consuetudini assignamus. Nominum mutatio haud difficilis, ubi eadem species ac natura ante oculos est. Ut Dei filium interdum deprehendimus, ubi Christi Jesuque nomina satisfecissent exprimendae sententiae, ita alterum quoque usu venit, ut locum aliquem altissimo attributo aptum inferiores tituli occuparint. — Sed locus ille cum aliis similibus comparandus nova quadam difficultate premitur. Voces ὑπάρχων et λαβών ita opinor differunt, ut Christus altiore conditione ut sua et quasi naturali fruitus esse, humilem vero et terrestrem libere suscepisse videatur. Qui quum vulgo in mundum missus esse a Deo atque imperata omnia exegisse feratur, nonne hujus loci eam potius sententiam esse apparet, ex qua sua sponte in locum infimum descenderit, minime ostentans neque cupide arripiens honorem, tum vero toto munere perfunctus summa majestate tanquam operosae industriae praemio affectus sit? Haud secus epistolae ad Hebraeos auctor Christum, quamvis filius fuerit, ex iis quae toleraverit obedientiam (5, 8 cf. Rom. 5, 19 ὑπακοὴ τοῦ ἑνός) didicisse ac propterea ad gloriam coelestem dicit evectum esse. Nam Deum docuisse, per quem multos filios ad statum honorificum ducturus esset, eum post perlatos demum dolores insigni gloria ornare et quodammodo in sublime extollere (2, 10). Finito enim terrenae vitae spatio, enunciatis Dei consiliis novoque foedere sacrato, quum ab omni parte aequa-

lis hominibus fuisset et pro expiandis eorum delictis calamitatem magnam ad mortis usque supplicium esset perpessus, inde filium ad sempiterni sacerdotis magistratum accessisse. Ad Christi tanquam filii obedientiam collaudandam aptissime quidem haec cogitatio proposita est; sed quid dicam, ne cum superioribus certare videatur?

Primum qui opem ferre hominibus jussus fuerat, non poterat idem sua sponte egisse nisi tanta naturae et studii intercedente cognatione, ut lubentissime Dei mandatum ab ipso acceptum esset. Si igitur tam arctam filii et patris fuisse conjunctionem concesseris, haud injuria illum hominem Messiamque dicemus et voluntarium atque liberum et ex Dei arbitrio pendentem. Tum vero quod illi loci exhibent, Christum exacto humanae vitae spatio morteque tristissima perlata maximis in coelo honoribus potitum esse, quomodo hoc obedientiae praemium a patre tributum habendum erat? Scriptorem parum secum consensisse theologi autumant, qui filio id, quo carere non potuisset, ut eo rediret unde in terra madvenisset, jam dixerit obedientiae ac virtutis praemium oblatum esse: nullam enim illi remunerationem deberi, cui pro natura sua aliter se gerere non licuerit. Equidem non habeo, quo hanc controversiam dissolvam, nisi quod duplex Paulo fuit de Christo filio consideratio. Supra filium λόγον vidimus a principio apud patrem versatum, quem par erat in locum coelestem, ex quo ad homines descenderat, cum splendore reverti. Jam vero in mentem venit παῖς θεοῦ, homo ille Jesus Christus (1 Tim. 2, 5), qui eo, quod deposito splendore sublimi ultro humani status pericula subiit, dignissimus redditus est, quem Deus a mortuis excitaret, et in celsissimo honoris et principatus solio collocaret. Utrumque igitur Paulinis sententiis comprobabis, et obsequio filium honores suos meruisse, ut omnia in libera Dei Chri-

stique voluntate posita fuerint, et alterum, pro divinitate sua et communione cum patre talem se praestaret necesse fuisse. Dogmaticus non perfungetur officio, nisi utramque cogitationem mente amplexus fuerit.*)

§ 20.

Ejusdem rei summa.

Incerti sunt et parum dilucidi quibus haec quaestio justis finibus includatur, quoniam neque totam Pauli Christologiam volebam enarrare, nec poteram exterminare, quae ad nostram causam proxime attinent. Quum vero gravissima fere investigasse mihi videar, non restat, nisi ut eorum, quae in primis e Pauli locis colligenda esse putavi, Johannis simul habita ratione, summam faciam.

1) Significationi nominis non adeo a Paulo loquendi usus accommodatus est, ut singulis quibusque locis eandem notionem clare expressam habeas. Est enim ubi filii Dei attributum non tam sententiae eloquendae quam augendo ponderi verborum inserviat:

---

*) Si quis forte postulet, ut eorum locorum, quibus Christus θεός appellatur, in hac quaestione mentionem inferamus, illi velim brevis responsio satisfaciat. Missum facio, quod paene nullus inter eos (Rom. 9, 5. Tit. 1, 3. 2, 13. 1 Tim. 3, 15) ab omni vel interpretationis vel rationis criticae dubitatione liberatus est. Sed quomodo idem potest et Deus et Dei filius appellari? male hoc inter se concinet, si ex se ipso quasi explicabis nomen, quod ex tota de eo cui daretur sententia atque aestimatione spectandum esse vidimus. Sed ille filius est, in quo idem Paulus dixit totam divinitatis copiam habitare et clarissime illuxisse (Col. 2, 9). Hunc igitur si quando θεόν dixerat uti in Christo apparentem, non erat profecto quod metueret, ne confudisse patris filiique personas et alterius de dignitate derogasse aliquid videretur. Caeterum theologi doxologicas, quae dicuntur, illas exclamationes esse monuerunt non cum parco verborum usu editas.

nonnunquam Jesus seu Christus promiscue occurrunt, ut, quum eandem personam scriptor in mente habuerit, nominum quoque aequalis honor esse videatur.

2) Nihilominus pariter atque in scriptis Johanneis, quae cum nomine cohaerent, cogitationum larga copia apud Paulum suppetit earumque ad totam evangelii ac divini instituti descriptionem pertinentium. Neque igitur nos ratio fefellit, quum alias voces: *υἱοθεσία*, *κληρονομία*, *τέκνα θεοῦ*, *εἰκών*, *μορφὴ θεοῦ*, *ἀπαύγασμα τῆς δόξης*, quaeque iis continentur, ad illud explicandum adhiberemus. Duo haec animadvertisse mihi videor, nec per se inane esse nomen, ut quod ad describendam de Christo doctrinam plurimum valuerit, neque ipsum ex se tantum, verum ex ea, cui accommodatum sit, materia atque ex ipso contextu explicandum esse.

3) Significatum nominis quod attinet, magnam quidem, qua Paulus a Johanne discrepet, differentiam proponere nescio. Apud utrumque Deus in filio fuit, cujus opera homines servati et redemti e Deo quasi iterum nascerentur, ut justi fierent et ab omni parte beati. Animo gaudet filius ex Dei substantia, per quam mundus conditus et sustentatus est, decerpto: neque vero, quum a patre omnia susceperit, inferior illi esse unquam desiit. Bonorum divinorum, quae a Deo comparata sunt, Christus tanquam primogenitus fratrum multorum atque novi foederis *μεσίτης*, ut ait epistolae ad Hebraeos auctor 8, 6. 9, 15, caeteros quoque, dummodo ex intimo corde ipsi confisi fuerint, participes facturus est. Amoris erga filium omnesque homines et piae Christi obedientiae haud minor apud Paulum quam apud Johannem aestimatio, vel etiam pluris Paulus facit hanc virtutem, qua Christus post mortem supremae majestatis praemium consecutus sit. Subtilior vero in eo Paulus, quod distinctius humanam Christi indolem, qua Judaeus et

Davidis filius exstitit, a divini spiritus excellentia discernens et quodammodo duas qualitates vel naturas, si me uti hac voce pateris, statuens tum historica tum ideali ratione de Dei filio philosophatur: dum mysticum theologum habemus Johannem interno sui animi sensu rerumque invisibilium contemplatione occupatum. Late patet enim illius ἓν εἶναι, quum intimum hominum pectus mentesque spectet, quae primum cum Dei filio, deinde cum patre conjunctae in unum quoddam spiritale corpus coalescere debeant. Deinde Johanni illud proprium est, quod λόγου voce et specie proposita Dei filii numen ab humana ejus visione ac persona discernit, quae loquendo Paulus interdum commutat atque nonnulla ad illum praesertim referenda Jesu Christo, per κατάχρησιν hoc nomine posito, ut vidimus tribuit. Denique e Johanne quae discimus, maximam partem Christi sermonibus comprehenduntur, unde singularum sententiarum differentia aliqua oritur, quod hic Jesum vivum atque praesentem de se ipse quae disputat audimus, illic vero apostolum jam exactam totam Christi vitam respicientem habemus. Quapropter v. c. subjectum esse filium patri ejusque consilio obseqni, multo saepius apud Johannem legimus et ex ipso Jesu loquente audimus, quam apud Paulum, quem non amplius inter homines laborantem atque afflictum Christum, verum agentem coeleste regnum et in patris solio adorandum celebrare decebat.

§. 21.

Conclusio.

Quid de hujus nominis vera vi et sententia omnino statuendum sit, longius et difficilius videtur explicatu, quam quod hac occasione penitus perquiram. Tantum id cuique valebit, quantum disciplinae suae ratione adductus valere cupiverit. Quare longissime abest, ut

brevi adnotatione hoc caput conclusurus in quaestione ad finem perducta mihi gratuler.

De nomine quodam nos dicturos esse ab initio nunciavimus. Jam vero patet, nos de eo quoque, cui hoc nomen fuit, disputasse: nec profecto inanis quaedam locutio vel formula tam diligenti theologorum cura et indagatione digna foret. Si non natus esset Christus inter nos nec strenue tantum decus sibi adjudicasset, vel Judaeorum, qui de peculiari ac paterno Dei erga ipsos amore gloriabantur, opinionibus superlatis adnumeranda, vel poëtarum sermonibus releganda foret appellatio. At illum veritatem addidisse imagini et tenui umbrae vel visioni ipsam aequasse naturam credimus. Nam uti evangelium ejus ex unius gentis finibus medium in populorum gregem profertur, ita Christus sibi destinatos honores ex opinionum Judaicarum angustiis expedivit, et verae suae dignitati adjudicavit, ut omnes non in universum quis esset Dei filius, sed ille qualem sese praestitisset, considerarent. Satis latum et incertum quod antea fuerat, in locum eminentem promovetur nova luce illustrandum, nobili ac locupleti forma ornandum. Eo quod ad historicam et Judaeis probatam de Messia existimationem altior jam cogitatio ac disciplina accessit, praestantissimus ille praeceptor et propheta Christus Deo carissimus cumulatur sempiterno filii decore intima spiritus societate cum Deo conjuncti, cui non sola hominum vita gloriam et magnitudinem attulit, quoque nihil praeclarius in toto mundo apparuit, nihil magis divinum. Priorem de eo cogitationem, quam vero proximam esse multi theologi defenderunt, tribus in evangeliis, Petri epistolis, epistolae ad Hebraeos locis quibusdam, forsan in Actis quoque apostolorum conspicuam habemus, alteram magna quidem ex parte illi similem Johannis ingenium amplexum est: Paulus inter utramque partem medium fere tenuisse, nisi pro-

pius tamen ad Johannem appropinquavit, haud injuria dicetur. Postquam vero ab interprete critico singula quaeque collecta, explorata et distincta sunt, jam dogmaticorum hoc studium coepit, ut superiore dijudicandi ratione inventa diversa quoad fieri potest conciliet et ad communem revocet sententiam: quod negotium in hac etiam quaestione prospere gerendum non est quod desperemus.

Non tantum Messianum Christi munus Dei filii nomine ornari, et plerique largiuntur, et de Wettius nuper in commentariis saepius confirmavit: in propatulo enim est, quam Deus provinciam tradiderit, eam non potuisse nisi homini dignissimo et spectatissimo committi. Licet Judaeorum multi nihil praeter opera exsequenda in Messia spectaverint, nos gravissimis scripturae locis commoti ex ipsius Christi animo et vita ea repetimus, quibus justus ille honor conveniat. Mutuum patris filiique amorem, insignem illius gratiam, filii sinceram reverentiam, denique benevolentiae erga homines caritatem fortissime declarari et ostendi constat: ex quo arctam inter utrumque voluntatis concordiam esse sequitur, eam vero, in qua filio, ut ultro Deo sese subjiceret, ingenua quaedam deliberatio relicta sit. De hac morali communione, cui mirabilis Dei in filio cognitio respondeat, quum omnis ut mihi videtur nobis dubitatio praecisa sit, quaeritur unde hanc societatem recte derivemus. Equidem nihil novi, ex quo ortam esse eam arbitrer, nisi quod natura Christus Deo proximus fuit. Naturae enim, si latiori sensu vocabulum accipimus, illa esse putavi, quae, quum ab initio cordi insita sint, nullo consilio neque animi contentione assequimur. Recondita haec et innata efficit vis, ut ultro animus ad id, unde haustus est, feratur. Sacrorum scriptorum nullus Christo naturam divinam disertis verbis assignavit; attamen aut egregie fallor, aut ita disputant, ut fontem aliquem supremum

non in hominum quibusdam facultatibus situm quaerere et inde filii ingenium derivare jubeamur. In antecedentibus exposui, quae in Dei filio fuerit ex hoc divino fonte nata ingenii ubertas: quam qui possederit, eum oportuisse contendes ad munus summum designari, ut hoc alterum Dei filii ornamentum esset, domini ac servatoris potestate ornari et miraculorum edendorum copia impleri. — Rursus mihi hic redit quod antea dijudicandum obvenerat, itane nomen usurpatum sit, ut scriptores metaphysici aliquid habuisse in mente videantur. Quodsi metaphysicum id maxime dicitur, quod non singularum rerum naturalium et moralium finibus inclusum ad ipsa omnium principia refertur, ab eo spectando Johannem quidem et Paulum, ubi de Christo disputent, remotos fuisse nego. Haud dubie enim metaphysici generis sunt, quae de mundi primordio, de divini regni exitu et rebus novissimis dixere: atqui in eodem loco ab iis filii Dei numen atque opera collocantur. Ejus igitur eminentiam multum abest ut pro egregiis hominis alicujus virtutibus habuerint. Et omne fortuitum et quod arbitrii humani studiique solius est excluditur a Christi facultate, cui tanquam necessaria divini spiritus copia contigit. Profectus esse a Deo atque missus non ad unum hominum numerum sed ad totum genus humanum nonnisi ille recte dictus est, qui ea possedit nobisque impertiit, quibus unusquisque pari modo indiget, quia prava omnia et inania delent, temporum vicissitudines exsuperant, mortis denique ipsius perniciem extinguunt. Itaque de ipso adventu filii Dei ita disserunt, ut praesentiae ejus rationem esse prorsus universalem intelligamus. Neque ubi vitam domini scriptores enarrant, potior quaedam ratio, qua constet Deum in ipso viguisse, quam illa inexplicabilis relinquitur. Attamen illud etiam aeque tenendum est, quod divinum et metaphysicum in Dei filio

haberent, de eo non ut solitario tanquam de natura singulari, verum ita apostolos cogitasse, ut id finitimum rebus humanis et humana in vita potentissimum visum esse crederent. Eum enim Dei filium omnes celebrarunt, qui se hominis filium dicere solitus est.

BS	17982
2600	Gass
.G26	De utroque
V.1	Jesu...
	Cat. Dept. - Hardy

BS 2600 17982
.G26
V.1

UNIVERSITY OF CHICAGO
50 710 808